[illegible]

[illegible]

Alius tractatuli [illegible] in prin-
cipio libri ~

SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski

Item tractatus de creacione mundi de formacione
angelorum destinacione et ornacione mundi
Item de antichristo et eius adventu et multa
alia de diversis officiis Item summa penitencia-
lem et utiles Item sermones pro mortuis Item
litigacio sathane contra genus humanum Item
sermo de purificacione beate virginis Item copia in-
dulgenciarum de institucione festi compassionis virginis
gloriose Item historia eiusdem festi cum sermone
Item liber dyalogorum sancti johannis crisostomi
Et sancti basilii cesariensis episcopi de dignitate sa-
cerdotali etc.

1) H* 10210

XV. Q. 1156, 1–5

Incipit liber miſerie condicōnis humane a Lothario dyacono cardinali ſanctorū Sergi et Bachi qui poſtea Innocencius papa appellatus eſt.

Incipiūt capitula primi libri.


De miſeria condicōnis humane. i
De miſerabili humane condicōnis ingreſſu. ij
De vilitate materie de qua formatus eſt homo. iij
De concepcōne infantis. iiij
De quali cibo cōceptus nutriatur in vtero. v
De imbecillitate infantis vi
De dolore partus et eiulatu. vij
De nuditate. viij
Qualem fructū homo producat. ix
De breuitate huius vite. x
De incomodo ſenectutis xi
De labore mortalium. xij
De diuerſo ſtudio ſapientum. xiij
De varijs hominū ſtudijs. xiiij
De diuerſis hominū anxietatibus. xv
De miſeria pauperis et diuitis. xvi
De miſeria dñorum et ſeruorum. xvij
De miſeria continentis et coniugati. xviij
De miſeria bonorum et malorū. xix
De hoſtibus humanis. xx
De creacōne anime. xxi
De breui leticia. xxij
De inopinato dolore. xxiij


BIBLIOTHECA MILICHIANA GORLICENSIS

XV.Q.1156,1

1

De vicinitate mortis. xxiiij
De terrore sompniorum. xxv
De compassione xxvi
Quot in numero sūt species egritudinis. xxvij
De subitis infortuniis xxviij
De diversis generibꝫ tormentorum. xxix
De quodā horribili facinore. xxx
De quadā muliere q̄ comedit filiū suū. xxxi
Quādoqꝫ punit̄ innocens et nocens absolvit̄ xxxij

Domino patri carissimo. P. dei gracia portuensi episcopo Lotharius indign9 dyacon9 graciā in p̄nti ⁊ gloriā ī futuro. Modicū ocij qđ inter multas angustias nup ea q̄ nostis occasione captaui nō ex toto michi preterijt ociosū s ad deprimendā supbiā q̄ caput est oīm vicioꝝ huāne cōdicōis viteqꝫ descripsi Titulū aūt p̄ntis opusculi vr̄o nomini dedicaui rogās ⁊ postulās ut si qđ ī ea vr̄a discrecō dignū inuenerit dīne gracie totū ascribat. si vero p̄mitas vr̄a suggesserit vilitatē huāne nature cristo fauēte describā q̄ti nus ita p hoc humilit̄ elat9 ut p illud humilit̄ exaltet̄

De miseria condicionis humane

Quare de vulua mr̄is mee egressus sū. ut viderē dolorē ⁊ laborē ⁊ ɔsumerent̄ ī ɔfusione dies mee. si talia locutus est ille de se quē de9 sanctificauit ī vtero matris sue q̄lia loq̄r ego de me quē mater mea genuit ī peccatū. heu michi dixerim mater mea cꝫ me genuisti filiū amaritudis ⁊ doloris Job. Quare nō ī vulua mortu9 sū egressus ex vtero statim perij. Cur except9 genibꝫ lactat9 vberibus.

BIBL. UNIV. WRATISL.

natus in cobuſtione ⁊ cibus ignis. Utinā interemptus
fuiſſem ī vtero ut fuiſſet michi mater ſepulcrum ⁊ vul
ua eius cōtemptus eternus. fuiſſem eñi quaſi nō eſſem
de vtero tranſlatus ad tumulū. Quis ergo det oculiſ
meis fontē lacrimarū ut fleā miſerabilē hūane cōdicō
nis ingreſſū. Cōſideraui ergo cū lacrimis q̄uo factus
eſt homo ⁊ q̄d futurus ſit homo. Sane factus eſt de
terra ⁊ cōceptus in culpa natus ad penā. Agit praua q̄
nō licent. turpia q̄ nō decent. vana q̄ nō expediunt.
fiet cibus ignis. eſca vermiū. maſſa putredinis. Expo
nā illud planius ⁊ dicā plenius. Formatus ē homo
a puluere de cinere de luto. q̄dq̄ʒ vilius eſt de ſpurciſſi
mo ſpermate. Conceptus ī ſpurcō carnis. in fetore li
bidinis in feruore luxurie. q̄dq̄ʒ vilius eſt. in labe pec
cati. Natus ad laborē timo. ē ⁊ dolorē. q̄dq̄ʒ miſerius
eſt ad mortē. Agit praua quibꝫ offendit deū. offendit
proximū. offendit ſeipſū. Agit turpia quibꝫ polluit
famā. polluit perſonā polluit conſciētiā. Agit vana
quibꝫ negligit ſua negligit vtilia negligit neceſſaria
Et fiet cibus ignis qui ſemper ardet ⁊ vrit inextingui
bilis. Eſca vermis qui ſemp rodit ⁊ comedit. Immor
talis maſſa putredis q̄ ſemp ſordet et fetet horribilis.

Ingreſſus humanus

Formauit igit deus
hoīnē de limo terre q̄ ceteris vilior eſt elemen
tis. Planetas ⁊ ſtellas fecit ex igne. flatus et ventos
fecit ex aere. piſces volucres fecit ex aq̄. hoīes et iu
menta de terra. Cōſiderās ergo aq̄tica ſe vilē inueniet
Conſiderans aerea ſe viliorē agnoſcit. Conſiderans

ignea ſe viliſſimū reputabit. nec valebit ſe purifica-
re celeſtib; nec audebit ſe preferre terrenis q2 parem ſe
iumentis inueniret et ſimilē cognoſceret. Eccāſt. Un9
eſt hoim et iumentoꝝ interitus et equa vtriuſq3 cōdicō
et nichil homo habet iumentorū amplius de terra orta
et in terrā pariter reuertunt. Verba ſūt iſta nō cuiuſli
bet hoīs ſed ſapientiſſimi Salomonis. Quid eſt igit
homo niſi lutū et cinis. Unde homo dicat ad deū Job.
Memento queſo qꝫ ſicut lutū feceris me et in puluerē
reduces me. Unde eſt qꝫ deus dicat ad hominē ī geneſ.
Cinis es et in cinerem reuerteris Job. Comparatus ſū
luto et aſſimulatus ſū fauille et cineri lutū efficit ex a
qua et puluere vtroq3 remanente. Cinis aūt ex ligno
et igne vtroq3 deficiente. Expreſſum miſteriū ſed alias
exprimendū. Quid ergo lutū ſuperbis de quo pulvis
extolleris vnde cinis gloriaris. De vilitate materie hominis

Sed ad aliud forſitan reſpondebis
qꝫ adam ipſe fuit de limo terre formatus. tu au
tem ex humano ſemine procreatus. at ille formatus
ex ſemine ſed immūdo Job. Quis poteſt facere mun-
dū de immūdo cōceptū ſemine. Quis eſt homo qui im
maculatus ſit et iuſtus appareat natus de muliere In
pſalmo. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum et
in delictis peperit me mater mea. Non tamen in vno
delicto. nec in vna iniquitate. ſed tamen in multis in
iquitatibus et in multis delictis. In delictis et iniqui
tatibus proprijs. In delictis et iniquitatibus alie-
nis. De conceptione infantis

Eſt em̄ duplex cōcepcō · vna ſemīnū ⁊ altera natu
rarū · ſcđa fit ſic ī cōtractis · parentes em̄ cōmit=
tunt in prima · proles cōtrahit in ſcđa . Quis eſt qui
neſciat ꝯcubitū cōiugalem nunꝙ̄ oı̄ıno ꝯmitti ſine
pruritu carnis ſine feruore libidis ſine fetore luxurie
vnde ſemina cōcepta fedantur maculant ⁊ viciantur
Ex quibꝫ aīa tandē infuſa ꝯtrahit labem peccati macu
lam culpe ſordem iniquitatis . Sicut ex vaſe corru=
pto liquor infuſus corrūpit ⁊ pollutū tangens ex cō
tractu polluit . Habet em̄ anima tres naturales poten
tias ſiue tres naturales vires . Rōnalem ut diſcernāt
inter bonū ⁊ malū . Iraſcibilem ut reſpuat malū . Cō
cupiſcibilem ut appetat bonū . Iſte tres vires tribus
oppoſitis vicijs corrūpunt originaliter . Vis rōnalis
p ignorātiā ut nō diſcernat inter bonū ⁊ malū . Vis
iraſcibilis p iracūdiā ut reſpuat bonū . Vis cōcupiſci
bilis p cōcupiſcentiā ut appetat malū · prima gignit
delictū · vltima parit peccatū · media delictū grauat ⁊
peccatū . Eſt delictū non facere faciendū · peccatum age
re nō agendū . Hec tria vicia cōtrahunt ex carne cor=
rupta p tres carnales illecebras . In carnali em̄ com
mercō racōnis ſopitur intuitus ut ignorātia ſeminet
libidinis . Irritat pruritus ut iracūdia ppagetur vo
luptatis ſociat affectus ut cōcupiſcentia contrahatur .
Hic ē tirannꝰ carnis lex mēbrorū fomes peccati lan=
guor nature pabulū mortis ſine q̄ nemo naſcit ſine
q̄ nullus morit q̄ ſi qn̄qꝫ tranſeat reatu ſemp tamē re
manet actu Iohēs ī epła canoica . Si aūt dixerimꝰ

q̄ꝑ peccatū nō habemus nosipsos seducim⁹ et veritas nō
est in nobis. O grauis necessitas et infelix cōdicō ante
q̄ꝑ peccamus peccato constringimur et anteq̄ꝑ delinq̄=
mus delicto tenemur Paulus ad Romanos. Per vnū
hoīem peccatū intrauit in hūc mūdū. et p peccatum in
omnes hoīes mors pertransijt Ezechiel. An nō patres
comederūt vnā acerbā et dentes filiorū obstupescunt.

De cibo conceptus ī vtero

Sed attende quo cibo conceptus nutriatur in vtero. profecto
sanguine menstruoso qui cessat ex femina post concep=
ptum ex eo vt conceptus nutriatur in femina. Quod
fertur esse tam detestabilis et immundus ut ex eius cō=
tactu fructus non germinent. arescent arbusta. mori
antur herbe. amittunt arbores fructum. siue fera. siue
canes inde comederint in rabiem offerūtur. Conceptū
fetus inicium seminis contrahant. ita vt leprosi et ele
phantes ex hac corrupcōne nascantur. Vnde secundū
legem mosaycam mulier que menstrua patitur repu=
tatur immunda. Et si quis ad menstruatam accesserit
iubetur interfici. ac propter immundiciam menstruo=
rum precipitur. vt mulier si masculū pareret quadra
ginta. Si vero feminam octoginta diebus a templi
ingressu cessaret.

De imbecillitate infantis

Quare ergo data est misero lux. et vita hijs qui
sunt in amaritudine anime Felices illi qui mo
riuntur anteq̄ꝑ oriant. Prius mortem sencientes q̄ꝑ vi
tā scientes. Quidā enī tā deformes et ꝓdigiosi nascū=
tur ut nō homines sed potius abhominacōes videant

Quib9 forte melius fuiſſet prouiſū ſi nunq̄ ꝓdiſſent ad viſū· qm̄ dū monſtra monſtrant ⁊ oſtēdūtur oſtē tui pleriq3 vero diminuti membris et ſenſib9 corrupti naſcant· amicorū triſticia parentū infamia· ꝓpinquo= rum verecūdia· q̄ hec particularit̄ dixerim de q̄buſdā cū generalit̄ oms ſine ſciētia ſine virtute ſine verbo na ſcūtur flebiles debiles imbecilles parū a brutis diſtan tes· ymo in multis minus habentes· nā ſtatim ut ani= malia orta ſunt gradiūtur· nos aūt nō ſolū erepti pe dib9 non incedim9· verū etiā incuruati reptamus·

**De dolore partus**

Omnes em̄ na ſcūtur eiulantes ut nature miſeriā exprimamus Maſculus em̄ recenter natus dicit A· fe̅ia vero E vn̄ v· Dicētes e ul' a quotq̄t naſcūtur ab eu a Quid em̄ igit̄ eua niſi eu a· vtrūq3 dolentis interiectio ē dolorē magnitudīs exprimēs· hinc em̄ ante peccatū virago· poſt peccatū eua meruit appellari· ex quo ſibi dictum audiuit in genes· In dolore paries nō eſt dolor ſicut parientis· vn̄ Rachel pre nimio dolore partus inte= rijt ⁊ moriēs vocauit filij ſui nomē beniamin id eſt fi lius doloris· vxor finees ſubitis dolorib9 irruentibus peperit filiū ac parijt et in ipſo mortis articulo voca uit filiū ſuū ychabel id ē filiū doloris In euangelio io hannis· Mulier cū parit triſticiā habet· cū aūt peperit filiū maſculū iā nō meminit preſſure ꝓpter gaudium q2 natus eſt homo in mūdo· Cōcepit ergo cū immun dicia et fetore· parit cū triſticia ⁊ dolorē· nutrit cū an guſtia ⁊ labore· cuſtodit cū inſtancia et timore.

4

ſtt.

Nudus egredit et nudus. De nuditate
regredit. pauper accedit ꝛ pauper recedit Job
Nudus inquit egreſſus ſū ex vtero matris mee et nu
dus reuertar illuc. Apl's ad thimotheū nichil intuli
mus in hūc mūdū auferre quid poſſumus. Si quis
autē indutus egreditur attende qualem perferat indu
mentum. Turpe dictu. turpius auditu. turpiſſimū vi-
ſu. fedā pelliculam ſanguine cruentatam. Hec eſt illa
materia de q̄ thamar inquit in partu In genes. Qua
re diuiſa eſt propter te materia ꝛ ob hāc cauſam vo
cauit nomē eius phares. De fructu hoīs

Qualis humane condicōnis indignitas indigne
tur vilitatis hūane ɔdicō. herbā ꝛ arbores inue
ſtiga ille de ſe ꝓducūt flores ꝛ fructus. et tu de te len
des pediculos ꝛ lūbricos. Ille de ſe fundūt oleū vinū
et balſamū ꝛ tu de te vrinā ſputū et ſtercus. Ille de ſe
ſpirant ſuauitatis odorē. et tu de te reddis abominacō
nem fetoris. Qualis eſt arbor talis ē fructus In euā
gelio. Non poteſt arbor mala bonos fructus facere.
nec arbor bona malos fructus. Quid enim eſt homo
ſecundum formā niſi quedā arbor euerſa cuius radices
ſunt crines. truncus eſt caput cū collo. ſtipes eſt pe-
ctus cū aluo. rami ſunt vlne cū tibijs. frondes ſūt di
giti cum articulis Job. Hoc eſt folium quod a vento
rapitur et ſtipula que a ſole ſiccatur. De breuitate vite

In primordio condicōnis hūane nongētis
annis ꝛ amplius hoīes vixiſſe legunt. ſed paulatim
vita hoīs declinante dixit dominus ad noe In genes.

nō ꝑmanebit in hoīe ſpūs in eternū qꝛ caro eſt · Erūt
qꝫ dies vite illius cxx · annoꝝ qđ intelligi poteſt tā
de termino vite q̄ꝫ de ſpacio penitendi · Ex tūc eni rariſ=
ſime legūtur hoīes vixiſſe plus · ſʒ cū magis ⁊ magis
vita recidat hūana · dictū ē a pſalmo dies annoꝝ ⁊c
In ipſis lxx annis · ſi aūt in potentatibꝫ octoginta et
amplius eoꝝ labor ⁊ dolor · Job · Nūc paucitas die
rum meoꝝ finietur breui tpe · dies mei velocius tranſi
erūt q̄ꝫ a texente tela ſuccidit · Job homo natus de mu
liere breui viuens tpe repletur multis miſerijs qui q̄
ſi flos egredit ⁊ oteri ⁊ fugit velud vmbra ⁊ nunq̄ꝫ
in eođ ſtatu ꝑmanet · pauci veniunt ad lx · pauciſſim
ad lxx ānos ꝑuenerūt · De incomodo ſenectutis

SI quis aūt ad ſenectutē ꝑceſſerit ſtatim coꝛ eiꝰ
affligit ⁊ caput cōcutit languet ſpūs fetet an=
helitus facies rugat ⁊ ſtatim curuat · Caligant oculi
et vacillant articuli · nares effluūt ⁊ oīs crines de=
fluunt · tremit tactus ⁊ deperit actus · dētes putreſcūt
aures ſurdeſcūt · ſenex de facili ꝓuocat ⁊ de facili reuo=
catur · cito credit et tarde diſcernit · tenax ⁊ cupidꝰ · tri
ſtis ⁊ querulus · velox ad loquēdū ⁊ tardus ad audi
endū ſʒ nō tardus ad iram · laudat āt̄iquos ⁊ ſpernit
modernos · vituperat pn̄s ⁊ ɔmendat preteritū · ſuſpi=
rat ⁊ anxiat torpet ⁊ infirmat · Audi poetā oracium ·
Multa ſenem circūueniūt incomoda · porro nec ſenes
cōtra iuuenes gloriēt nec moleſtent iuuenes cōtra ſe
nes · qꝛ quod ſumus iſte fuit · erimus quandoqꝫ quod
hic eſt · De laboꝛe mortalium

5

Quis ergo naſcit̃ ad volandū ⁊ homo naſcitur
ad laborē· cūcti dies eius laboribꝫ et erūpnī ple
ni ſūt nec ꝑ noctem requieſcit mens eius · In Eccāſt·
Et hoc nomē vanitas nō eſt quiſq̄ ſub ſole ſine labo
re · nō eſt ſine defectu ſub luna · non eſt ſine vanitate
ſub tempore· Tempꝰ enī eſt mora motus reꝝ mutabi
liū vanitas vanitatū ⁊ oīa vanitas · Inquit eccāſt·
O q̄ varia ſunt ſtudia hominū· o q̄ diuerſa ſunt exer
cicia In eccāſt· Vnus omniū finis eſt tantū · ⁊ ĩ x̃ af
fectus labor et afflictio ſpiritus In eccāſt · Occupacio
magna eſt om̄ibꝫ hominibꝫ et iugū graue ſuper filios
ade· a die exitus de vtero matris eorū uſqꝫ in diē ſepul
ture in matrē oīm noſtrū · de diuerſo ſtudio ſapi
Perſcrutent̃ ſapientes ⁊ inueſtigāt alta celi lata
terre profunda maris · de ſingulis diſputent et
de cūctis ptractent diſcāt ſemꝑ ut doceant · ⁊ q̄ de hac
occupacōe niſi laborē ⁊ dolorē ⁊ afflictionē ſpūs inue
nient· Nouerat hoc expimentū q̄ dixerat Eccāſt· Dedi
cor meū ut ſcirē prudentiā atqꝫ doctrinā errores ſtulti:
ciā ⁊ agnoui q̄ eſſet labor ⁊ afflictio ſpūs eo q̄ ĩ mul
ta ſapientia multa ſit indignacō· et qui addit ſcientiā
addit laborem· licet enī oporteat indagantē multis eti
am inſudare vigilijs ⁊ inuigilare ſudoribꝫ· vix tamē
eſt tam facile tam vile quicq̄ qd̉ ad plenū intelligat
et cōprehēdat ad loquēdū niſi forſan illud pfecte ſciat
q̄ nichil ſcit pfecte q̄q̄ ex hoc inſolubil' redargucō cō
ſeq̄tur qd̉ ei ĩ libro ſap· Corpꝰ qd̉ corrūpit aggrauat
aīam ⁊ deprimit terrena inhabitat ſenſū multa cogitantē

SLUB Wir führen Wissen. GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK Uniwersytet Wrocławski

Audi q̄d ſup hoc ſenciat ſalomon in eccl'aſt · cūcte res
difficiles nō poteſt eas homo explicare ſermonib⁹ · eſt
homo q̄ dieb⁹ ⁊ noctib⁹ nō capit ſomniū oculis ⁊ nul
lā opꝰ dei poteſt inuenire rōnē · et q̄to pl⁹ laborauerit
ad q̄rendū tanto minꝰ inueniet In pſalmo · Defecerūt
ſcrutātes ſcrutinio qm̄ accedit homo ad cor altū ⁊ ex
altabit deus · Salo · pſcrutator em̄ maieſtatis oppri=
metur a gloria · qui em̄ magis intelligit magis dubi
tat ⁊ ille videtur plus ſibi ſapere q̄ plus decipit · puraſ
ergo ſcientie eſt ſcire qd̄ neſciat · fecit aūt deus hoīem
rectū ⁊ ipſe ſe infinitis immiſcuit q̄ſtionib⁹ · De varijs

Querūt ⁊ diſcernūt mortales hoīm ſtudijs
p ſepes ⁊ ſemitas aſcendūt montes ⁊ trāſcendūt
colles trāſuolant rupes puolāt alpes tranſgrediūtur
foueas ingrediūtur cauernas rimant̄ viſcera terre p
funda maris incerta flumīs opaca nemoris inuia ſo
litudīs exponūt ſe ventis ⁊ ymbrib⁹ tonitruis ⁊ fulmīb⁹
fluctib⁹ ⁊ procellis precipiis ⁊ ruinis · metalla cudūt
et inflant lapides ſculpūt ⁊ poliūt ligna ſuccidūt do
lant ⁊ cōſuūt telas ordiūtur et texūt · Excolāt agroſ
plantant vineas veſtes induūt edificāt domos ⁊ plā
tant ortos ſuccendunt clibanos extruūt molendina ·
piſcantur venantur ⁊ aucupantur meditantur ⁊ cogi
tant conſiliantur et ordinant querelantur ⁊ ligant ·
Diripiunt et furantur decipiunt et mercantur conten=
dunt ⁊ preliantur · et innūra talia ut opes congre=
gent · ut queſtus multiplicent ut lucra ſectentur · vt

honores acquirant ut dignitates extollant et potestates
accedunt / hoc quoque labor / mentis afflictio. ſi michi non
credat ſalomoni credat in Eccleſiaſte. Magnificaui inquit
opera mea edificaui michi domos et plantaui michi vi-
neas feci ortos et pomeria et conſeui cunctis generibus ar-
borum extruxi michi piſcinas aquarum ut rigarem ſiluas a
grorum germinantium poſſedi ſeruos / ancillas multamque
familiam habui. armenta quoque / magnos ouium greges vl
tra omnes qui fuerunt in iheruſalem. Coaceruaui michi aurum
et argentum et ſubſtantias regum et prouinciarum. feci michi
cantores et cantatrices et delicias filiorum habui ciphos
et vrceos in miſterio ad vina fundenda habui / ſupgreſ
ſus ſum opibus omnes qui fuerunt ante me in iheruſalem. Cumque
me conuertiſſem ad vniuerſa que fecerant et ad labores quibus
fruſtra ſudaueram. vidi in omnibus vanitatem et afflictionem
animi et nichil permanere ſub ſole quod non ſit labor et af
flictio ſpiritus. de diuerſis hominum anxietatibus

Occupata mortalis anxit anxietas affligit cura ſolli
citudo moleſtat metus exterret tremor concutit hor
ror abducat dolor affligit conturbat triſticia conturbat tur
bacio pauper et diues ſeruus et dominus coniugatus et continens. de
nique bonus et malus omnis mundanis cruciatibus affligunt
et mundanis afflictionibus cruciant. experto credo magi-
ſtro Job. Si impius inquit fuero ve michi eſt et ſi iu-
ſtus non leuabo caput ſaturatus afflictione et miſeria.

Pauperes enim de miſeria pauperis et diuitis
premuntur inedia cruciant erumpna fame ſiti frigo
re nuditate vileſcunt et tabeſcunt ſpernunt et confundunt

O miſerabilis cōdicō mādueātis. Nā ſi petit pudore cō
fundit. ſi vero nō petit egeſtate ↄſumit ꝟ ut māducet
neceſſitate ↄpellit. deū cauſat iniquū ꝙ nō recte diui
dit ꝓximū criminat malignū ꝙ nō plene ſubueniat.
Indignat murmurat ⁊ ꝑecat. Auerte ſup hoc ſenten=
tiā Salo. in prouerbijs. Melius eſt mori ꝙ̄ indige
re et ꝓximo ſuo paup erit odioſus. Salo. oms di=
es paupis mali frēs hois pauperis oderūt eū. inſuper
et amici procul receſſerūt ab eo. vn̄ ꝟ in cathone. Cū
fueris felix ⁊c̄ pro pudore ſcd̄m fortunā exiſtimat per
ſona. cū ſcd̄m pſonā potius ſit fortuna exiſtimanda.
tam bonus reputat ut diues. tam malus ut pauper
cū tā diues ſit reputandus ut bonus. tā paup ut ma
lus. diues em̄ ſupfluitate reſoluit ⁊ iactantia effrena
tur. currit ad libitū ⁊ currit ad illicitum ꝟ fiunt ad
inſtrumēta penaꝝ q̄ fuerāt oblectamēta culpaꝝ. labor
in acquirendo timor in poſſidendo dolor in amittendo
mentē eius ſemp fatigat ſollicitat ⁊ affligit. In euan
gelio mathei. Ubi eſt theſaurus tuus ibi eſt ⁊ cor tuū
ſed de hoc plenius in ſequentibꝰ dicemus.

## De miſeria dñoꝝ et ſeruoꝝ

Seruus nimis terretur
angarijs fatigat plagis affligit opibꝰ ſpoliat
qui ſi nō habet habere cōpellit. et ſi habet cogit nō ha
bere. Culpa dn̄i ſerui pena. culpa ſerui dn̄i preda Ora
cius. Quicquid delirant reges plectuntur achiui. In
eccāſt. venacō leonis onager i heremo. ſic paſcua di
uitū ſūt pauperes O extrema cōdicō ſeruitutis. Natura
liberos genuit ꝟ fortuna ſeruos cōſtituit ſeruus cogit

pati nemo ſimil' ꝯpati dolore pcutit' et nemo cōdolere
pmittit'. ſic ipſe vero ſeruꝰ ē ut nemo ſit ſibi miſericors
qui caſtra ſecunt' qꝛ miſerū eſt aliena viuere preda. do
minꝰ aūt ſi crudelis eſt oportet illū vereri ꝓpter nequi-
ciā ſubiectoꝝ ſi mitis ē dn̄s cōtigit illū cōtempni ꝓpter
inſolenciā ſubiectoꝝ. ſeruorū ergo metꝰ affligit ⁊ mā
ſuetū vilitas paruipendit. nā crudelitas parit odiū. ⁊
familiaritas parit ꝯtemptū familiaris em̄ cura fatigat
et domeſtica ſollicitudo moleſtat. Oportet em̄ ſemꝑ eſſe
paratū vbiqꝫ iumentū ut poſſit malignātium inſidias
precauere ⁊ oppugnātiū iniurias ꝓpulſare hoſtes ꝯtem
pnere ciues tueri nec ſufficiat dici malicia ſua. In pſal-
mo. Si dies diei laborē eructat ⁊ nox nocti ſollicitu
dinē indicat. dies ergo laborioſi dicūtur ⁊ noctes ex
pendūtur in ſomnes De miſeria ꝯtinentis
SI poteſt ignis nō vrere poteſt ⁊ ꝯiugati
caro nō ꝯcupiſcere. qꝛ quantūcunqꝫ pugnentur
iebuſeus ille penitus expugnatur Oracius. ſtaturā ex
pellas futura tantum uſqꝫ recurreret In euāgelio ma-
thei. Nō omnes capiūt verbum illud ſꝫ qui poteſt ca
pere capiat. vnde cū deus de ceteris pontificalibꝫ indu
mentis iuſſiſſet in exodo. vt moyſes et aaron filios ſu
os veſtirent. et de ſolis feminalibus non precepit. ſed
ait vt ipſi feminalibus non vterentur cum ingrederē
tur tabernaculū teſtimonij. Paulus ad Thimotheum
Nolite fraudari inquit inuicem. niſi forte ex conſenſu
ad tempus vt vacetis oracioni. Et iterꝫ reuertimini in
idipſū ne tēptet vos ſathanas. ꝓpter cōtinenciā veſtrā.

Melius eſt em̄ nubere q̄ vri· pugnat ergo cōtra con-
tinentiā vr̄am angelus ſathane q̄ carnaliter ſtimulat
et grauiter colophizat. Ignē nature ſuggeſtionis fla
tu ſuccendit materiā apponit facultatē tribuit et opor
tunitatē miniſtrat· pugnat ⁊ ſpēs q̄ ſubito viſa eſt faci
le cōcupiſcit In· ij· regū vn̄ cū dauid poſt meridiē de
ambularet in ſolario domus regie· videns ex aduer-
ſo berſabee lauātē ocupiuit eā· Erat aūt mulier pulcra
valde· miſit ⁊ tulit eā dormiuitq̄ cū ea· Ap̄ls ad co-
rinth· porro q̄ cū vxore ē ſollicit⁹ eſt q̄ ſūt mūdi ⁊ di
uiſus eſt · diſtrahiē em̄ p multas anguſtias etiam in
varias ſolliatudines diſceptat⁹ ut filijs et vxori fa-
mulis et ancillis neceſſaria querat et ſubminiſtrat· tri
bulacōem ergo carnis habet hui⁹ vxor cōcupiſcit habe
re preacioſū ornamentū variā ſuplectulē ut pluris ſit
ſepe cultus vxoris q̄ cenſus mariti· alioquin p dies
et noctes· ſuſpirat ⁊ plāgit garrit ⁊ murmurat Sa
lomon. Tria em̄ ſūt q̄ nō ſinūt hoīnem in domo ma-
nere· fumus· ſtillicidiū· ⁊ mala vxor· Illa inquit or
nacior procedit in publicū hoc ab omīb; honoratur
Ego miſera ſū in conuentu feiarū· ſola deſpicor· a cun
ctis otempnor· ſola vult diligi ſola laudari· alterius
amorē ſuū aſſerit odiū· alterius laudē ſuā decus ſuſpi
catur · Amandū eſt om̄e qd̄ diligit· odiēdū eſt om̄e
qd̄ ſpernit vincere vult ſed vinci nō valet · famulari
nō patiē ſ; dn̄ari moliē · cūcta vult poſſe nulla vero
noſſe· ſi pulcra fuerit facile adamat· ſ; ſi feda facile cō
cupiſcit ſ; difficile cuſtodit Jere· Nō a m̄ltis diligiē

8

moleſtū eſt poſſidere qd nemo dignat habere. ali⁹ for
ma alius ingenio ali⁹ libertate ſollicitat ⁊ ex aliqua
parte rapit qd vndiqȝ lateſcit. Ceruus equus aſinus
et canis. veſtis et lecticulus. calix ⁊ vrceolus. prius
probātur ⁊ poſtea oparantur. Sponſā vero vix cōdu
citur ne prius diſpliceat ꝙ ducat. Qualiſcūqȝ caſus
obuenit eſt neceſſario habenda ſi feda ſi fetida ſi erga ſi
fatua ſi ſupba ſi iracūda ſi parte qualibet viciosa ꝓpter
ſolā fornicacōnem poteſt vxor a viro dimitti. ſed nec
dimittens poteſt aliā ducere. nec dimiſſa poteſt alij co
pulari In Matheo. Quia quicūqȝ dimiſerit vxorem
niſi ob fornicacōem ⁊ aliā duxerit mechat. ⁊ qui di-
miſſam duxerit mechat. Apoſtolus ad Corinth. ꝙ ſi
vxor a viro ſuo diſceſſerit manere debet innupta. aut
viro ſuo recōſilari. ſimilit ⁊ vir ſi diſſceſſerit ab vxo-
re graue nimis eſt pondus matrimonij. Salomon.
Nā ſtultus ⁊ impius qui tenet adulterā ⁊ patron⁹ eſt
turpitudīs q celat crimē vxoris. ħ ſi dimittit adulterā
abſqȝ ſui culpa punit. qm̄ illa viuente cogit contine
re. ꝓpter qd diſcipuli criſto dixerūt In matheo. Si
rea ē cauſa hoīs cū vxore nō expedit nubere. qs vnꝙ
eqnimiter poterit ſuſtinere vel malē ſuſpicō ſola zelo-
tipuī vehementer. Nā licet ſcriptū eſt in geneſ. Erunt
duo in carne vna. zelus tn̄ viri nō patit i carne vna

Non eſt gaudere de miseria bonorum et malorum

Non eſt gaudere
cū impijs ꝓphet a diat dns p q peccat homo per
hec ⁊ torquet. vermis eo⁹ cōſcientie nūꝙ morit ⁊ ignis
eōis nūꝙ extinguit Job vidi eos q opant iniqtates

et ſeminant dolores ⁊ metūt eos· flante dn̄o p̄iſſe et
ſpiritu ire eius cōſumptos · ſupbia inflat inuidia ro=
dit auaricia ſtimulat ira ſuccendit angit gula diſſol
uit luxuria ligat mendaciū maculat homicidiū· ſic et
cetera viciorū portenta ut q̄ ſūt hoīm peccāti oblecta
menta deo · ſūt inſtrumēta puniendi Oracius · Inui=
dus alterius macreſcit rebus opimis· inuidiam ſi tuli
nō inuenire tiranni maius tormentum· Paulus ad ro
manos · Viciū enī corrūpit naturā ap̄lo teſtante qui
ait ad romanos Quia euanuerūt ī cogitacōībȝ ſuis
obſcuratū eſt cor eorū· ꝓpter qd̄ tradidit illos deus in
deſideria cordis eorū ut immūdicia et cōtumelijs affici
ant corpa ſua. Et qȝ nō probauerūt deū habere in no
ticia ſua tradidit eas deus in reprobū ſenſū ut faciant
ea q̄ nō ꝯuenūt· Paulus ad thimotheū ƺ qui pie vo
lūt viuere in criſto ihu pſecucōnē patiuntur· Paulus
ad hebreos ſancti vero ludibria et verbera experti ſunt·
inſuper ⁊ vincula et carceres lapidati ſunt ſecti ſunt
temptati ſunt et in occaſione gladij mortui ſunt pro
domino · Paulus ad hebreos · Circuierunt in me=
lotis et in pellibus caprinis egentes anguſtiati ſunt
afflicti ſūt quibȝ dignus nō erat mūdus· in ſolitudi=
nibȝ errātes et in montibȝ et ī cauernis terre · Paulus
ad corinth · periculis fluminū periculis latronū peri=
culis ex genere periculis ex gentibȝ periculis in ſolli
tudine periculis in falſis fratribȝ ī labore et erūpna in
vigilijs multis ī fame ſiti et in ieiunijs multis in fri=
gore et nuditate et in anguſtijs mltis · Juſtus enī cū

abneget ſemetipſū cruafigens menbra ſua cū vicijs ꝛ
cōcupiſcentijs ut ſibi mūdꝰ ſit crucifixꝰ ꝛ ipſe mūdo In
apl'o. Nō habent hic manentē ciuitatē ſꝫ futurā gloriā
inquirit ſuſtinet ſeculū tanꝗ̄ exiliū clauſū ī corpe tā
ꝗ̄ in carcere. Pſalmus. Incola ego ſū in terra ꝛ pere
grinꝰ ſicut om̄s pr̄es mei. Remitte michi ut refrigerer
priuſꝗ̄ abeā et amplius nō ero. Heu michi qꝛ incola-
tus meus ꝓlongatus ē habitaui cū habitātibꝫ cedar
multū incola fuit aīma mea Paulus. Quis infirmat
et ego nō infirmor. quis ſcandaliſat et ego nō vror
In Judith. Nā peccata ꝓximorū refrigeria ſūt iuſto
rū In Judith. Hoc eſt irriguū qd̄ caleph dedit filie
ſue in dotem. De hoſtibus humanis

Milicia eſt vita hoīs ſup terrā Job. An nonne
milicia cū multiplices hoſtes vndiqꝫ ſemp inſi-
dient ut capiāt ꝓſequētur ut ꝑmaneāt demō et homo
mūdus et caro. demon cū vicijs homo cū beſtijs mun
dus cū elementis caro cū ſenſibꝫ Apl's. Caro nāqꝫ cō
cupiſcit adūſus ſpiritū ꝛ ſpūs adūſus carnē verū nō ē
nobis colluctacō adūſus carnē et ſāguinē ſꝫ adūſus ſpi
ritualia nequicia ī celeſtibꝫ adūſus rectores tenebrarū
harū Petrus aduerſariꝰ noſter dyabolꝰ tanꝗ̄ leo rugiēs
circuit q̄rens quē deuoret. accendunt ignea tela neq̄ſ-
ſima Jer. mors ingredit ꝑ feneſtras In libro ſap. ocu
lus aīam depredat pugnat orbis terrarū cōtra inſenſa
tos In math. inſurget gēs cōtra gentē et regnū aduerſꝰ
regnū et terremotꝰ magni erūt ꝑ loca peſtilencie ꝛ fa-
mes terroreſqꝫ de celo tēpeſtates et tonitrua. tra ꝓducet

ſpinas ⁊ tribulos aq̈ ꝓcellas et fluctus aer tempeſta
tes ⁊ tonitrua ignis coruſcacões fulgura· In geneſ·
Maledicta terra in ope ſuo ſpinas et tribulos
germinabit tibi· In ſudore vultus tui veſceris panē·
donec reuertaris ad terrā de q̄ ſumptus es · q terra es
et in terrā ibis· Inſidiat aper de ſilua ⁊ ſingularis fe
rus depaſcit lupus et vrſus pardus et leo tygris et
onager cocodrillus et grifes ſerpens et coluber baſili
ſcus ⁊ aſpis ceruſces ⁊ draco ſcorpiones ⁊ vipere ſed
et lendes et pulices formice et pediculi cimices ⁊ mu
ſce ſcorpones et vulpes piſces et volucres In geneſ·
Nā q creati ſum9 ut dn̄aremur piſcib9 et volucrib9 ce
li et vniūſis animātib9 q mouent ī terra In deutrono
mij· nūc damur illis in predā· Scriptū eſt em̄ ī pſal
mo· dentes beſtiarū mittā in eis cū furore trahentiū ſu
per terram. **De Creacione aīe**

Infelix ego homo quis me liberabit de carcere mortis
huj9 ap̄ls· Certe nō vult educi de carcere q nō vult
educi de corpe· nā carcer anime corpus eſt de quo di
cit dauid· Educ de carcere animā meā nunq ibi ē qui
es trāquillitas nunq eſt pax et ſecuritas vbiq3 eſt ti
mor et tremor vbiq3 labor et dolor Job· Caro dū vi
uet et aīa ſup ſemetipſā lugebit· **De breui leta**

Quis vnq vel vnicā diē totā ſuā duxit delectacō
nē iocūdā· quin ī aliq parte diei reat9 cōſciētie
vel impetus ire vel motus cōcupiſcentie cōturbauerit·
quē liuor inuidie vel ardor auaricie vel timor ſupbie
nō vexauerit quē aliqua iactura vel offenſa ul paſſio



SLUB Wir führen Wissen. GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK Uniwersytet Wrocławski

nō cōmouerit quē deniqꝫ viſus vel audit⁹ vel actus ali
qs nō offenderit. Rara auis ī terris nigro ſimił cigno
Audi ſup hec ſententiā ſapiētis eccāſt. a mane uſqꝫ ad
veſperā mutabit̃ ſpūs Job. Cogitacōes varie ſibi ſuc
cedūt ⁊ mens rapit̃ in diūſa tenēt citharā et gaudēt ad
ſonitū organi ducūt ī bonos dies ſuos et in pūcto ad
inferna deſcendūt. De inopinato dolore

Semp enī mūdane leticie triſticia repentina ſucce
dit et qđ incepit ēē cū gaudio deſinit ēē cū triſti
cia. mūdana quippe leticia vel felicitas multis eſt amari
tudinibꝫ reſperſa. Nouerat hoc ille q dixerat Riſus do
lore miſcebit̃ Salo. Extrema gaudij luctus occupa
uit Paulus. Expti ſūt et liberi Job. Qui comederāt et
biberāt vinū in domo fratris ſui primogeniti repente vē
tus irruit vehement̃ a regione deſerti et cōcuſſit q̄tuor
angulos dom⁹ q corruēs vniuerſos oppreſſit. Merito
ergo pater aiebat verſa eſt ī luctū cithara mea et orga
nū meū ī vocē flentiū. In eccāſt. Melius eſt ire ad do
mū luct⁹ q̄ȝ ad domū cōuiuij In eccāſt. In die bonoꝝ
ne immemor ſis maloꝝ In eccāſt. Memorare nouiſ
ſima tua et ī eternū nō peccabis. De vicinitate mortis

Semper dies
vltimus primus et nunq̄ȝ dies primus dies vl
timus reputatur cū tamē ita viuere ſemper deceat tan
q̄ȝ mori ſpoporteat Scriptū eſt enī ī eccāſt. Memor
eſto qm̄ mors non tardat temp⁹ preterit et mors ap
propinq̄t In pſal. Mille āni an̄ oculos ſicut dies he
ſterna q preterit ſp ei futura naſcūt ⁊ ſp p̄ntia moriūt

Et quicquid est preteritū totū est mortuū. Morimur
ergo dū semꝑ viuim⁹. tūc tamē desiam⁹ mori cū desi
nimus viuere. In eccāst. meli⁹ est ergo mori vite. ꝗ̄
viuere morti q₂ nichil est mortalis vita ꝗ̄ mors vi:
uentis In eccāst. laudaui magis mortuos ꝗ̄ viuētes
et vtroq₃ felicōrem reputaui q̄ nōdū natus est vita ve
locitate fugit ⁊ retineri nō potest. Mors aūt instant
occurrit ⁊ impediri nō potest ꝫ hoc est illud mirabile
ꝙ ꝗ̄toplus crescit tantomagis decrescit. q₂ ꝗ̄toplus
vita procedit tantomagis ad finē accedit. De ter

rore sompniorum

TEmpus eñ qd̄ quieti cōcessū est
nō cōcedit ēe quietū. nā terrent somnia visioēs
ꝑturbāt. Et licet nō sūt in veritate tristitiā vel terribi
lia vel laboriosa q̄ sommiāt sommiātes in veritate ta:
men tristant terrent ⁊ fatigant intm̄ ut etiā dormien
tes aliquādo lacrimant ⁊ euigilantes sepissime cōtur
bant. si vero iocūdū quid viderint nichilomin⁹ euigi
lātes tristant tanꝗ̄ id amiserint. Aduerte qd̄ sup hoc
dicat Elephat themamites in daniele. In hora visio:
nis nocturne qñ solet sopor hoīes occupare pauor te:
nuit me ac tremor ⁊ oīa ossa mea ꝑterrita sunt. et cū
spiritus me pñte trāsiret inhorruerūt pili carnis mee
Considerata Iob dicēte. Si dixero cōsolabit me le:
ctulus meus. ⁊ reuelabo loquēs mecū in stratu meo
terrebit me ꝑ somnia ⁊ ꝑ visiones ⁊ horrores concuti
ens In daniele Nabucho. sommiū vidit ꝙ eū valde
ꝑterruit et visiones capitis ei⁹ cōturbauerūt eum. In
eccāst. mltas curas sequunt somnia ⁊ vbi mlta somnia

plurime vanitates In eccāst. Multos errare fecerunt ſomnia et exciderūt ſperātes in eos. apparent enī frequē ter in ſomnis turpes ymagines ex quib⁹ per illuſiones nocturnas nō ſolū caro polluit ſed aīa maculat. vnde dn̄s in Leuitico. Si ſit inquit inter vos homo qui ſit nocturno pollutus ſomnio egrediat castra et nō reuer tatur prius ad veſperā lauetur aqua et poſt ſolis occa ſū reuertat in caſtra. De Compaſſione

Quanto dolore turbamur tāto dolore cōcutimur cū amicoꝝ dampna ſentim⁹. cū picula parentū formidam⁹. plus interdū ſanus formidie ꝙ̄ ſan⁹ egri tudine pturbatur plus hic volūtarius affectu doloris ꝙ̄ is inuitus effectu languoris affligit. Ouidius ver ſū eſt enī illud poeticū. Plena timoris amor cui⁹ pect⁹ tā ferreū cui⁹ cor tā lapideū ut gemit⁹ nō exprimat la crimas nō effundat cū primi vel amici morbū vel in teritū intuetur ut cōpacienti nō cōpaciat et dolorib⁹ nō cōdoleat Ipſe ihesus in euāgelio iohānis cū vidiſſet mariā et iudeos. qui cū ea venerant ad monumentum plorantes infremuit ſpiritu. turbauit ſemetipſum et la crimatus eſt. ſed eo poci⁹ quod ad vite miſerias mor tuum reuocabat. Sciat ergo ſe culpabiliter durum. et dure culpabilem qui corporalem amici ſui mortem deploret et ſpiritualem anime ſue mortem non deflet.

Qt i mūdo ſūt ſpēs egrētudinis

Non dum a ſeculo tot egretudinum genera. et tot ſpecies paſſionis phiſicalis induſtria poci us indagare. Quot humana fragilitas tollerare.

tollerabilē quidē diximus morbū intollerātiā melius
vtraqꝫ cōiunximus. Nā intollerabilis eſt ꝓpter patien
di neceſſitatē de die ī diē magis ac magis natura cor
rūpit ita ꝙ multa fuerūt expimenta ſalubria q̄ ꝓpter
defectū ipſius hodie ſūt mortifera. Senuitqꝫ iā mūdꝰ
vtiqꝫ microcoſmus ⁊ macrocoſmus. ⁊ quādo ꝓlixiue
vtriuſqꝫ ſenectus ꝓducat tanto deterius vtriuſqꝫ natu-
ra turbatur. De ſubitis infortunijs

SVbito cū nō ſuſpicat infortuniū accidit. Cala
mitas irruit morbus inuadat mors interapit
quā nullus euadit Malo. Ergo nō glorieris in cra
ſtinū morieris ignorās ꝙ ſuperuentura pereat dies. ne
ſcit homo finē ſuū. ⁊ ſicut piſces capiūtur in hamo et
aues cōprehendunt laqueo. ſic capiūtur hoīes tem
pore malo cū eis extimplo ſuperuenerit mors. De di

QVid dicā de miſeris uerſis generibꝫ tormētoꝝ
qui p immira tormentoꝝ genera puniūtur cedū
tur fuſcibꝫ ⁊ gladijs iugulant cremant flāmis ⁊ la-
pidibꝫ obruūt diſcrepant vigilijs ⁊ patibulis ſuſpen
dunt torquent inguibꝫ ⁊ ſcorpionibꝫ flagellant ar-
tantur vinculis ⁊ laqueis ſigillant recludūtur carce
ribꝫ ⁊ ieiunijs marcerātur precipitant ⁊ ſubmergunt
excoriant ⁊ diſtrahunt ſectātur ⁊ ſubfodiūtur Iere.
Qui ad mortē inquit iere. et qui ad gladiū ⁊ qui ad
famē. ⁊ qui ad captiuitatē crudele iudiciū in magnū
ſuppliciū triſte exſpectaculū dant in eſcā volatilibꝫ ce
li beſtijs terre piſcibꝫ maris. heu heu miſere matres q̄
tam infelices filios genuiſtis. De q̄dā horribili

Illud hoc horribile facinus libet inſe facinore
rere qđ ioſephus de iudaica obſidione deſcribit. Muli
er quedā facultate et genere nobilis cū ceteri mltitudi
ne q̄ ꝯfluxerāt ihrlm cōmunē cū oib⁊ obſidioib⁊ caſū
ferebat hui⁹ reliq̄s facultates q̄s de domo ī vrbē cōne
xerat tirānī penit⁹ invaſerūt ⁊ quicq̄d nota reliquiar̄
ex magnis opib⁊ fuerat q̄b⁊ victū cottidianū p tenuē
duceret irruētes p momēta predonū ſatellites rapiebāt
ꝑ q̄b⁊ lugēs mulier ex indignacōe q̄dā velut inſania
fatigata ita ut interdū predones ī necē ſue maledictō
nis ⁊ cōuicijs inſtigaret verū cū nec irritat⁹ quiſq̄ nec
miſerat⁹ illā perimeret ⁊ ſi q̄d forte ſibi ab illa fuiſſet q̄
ſitū id alijs q̄reretur nec iā uſq̄ fieret copia recipiendi
vel reperiendi. cū fames aūt dira viſcerib⁊ inſiſteret ac
medull̄ ⁊ ad furorē famis iā media purgeret peſſima
vſa cōſilijs cōtra iā armat̄ iura nature. erat ei ſub vbe
rib⁊ ei fili⁹ paruulus quē an̄ oculos ferēs. Infelicias in
quit mēis O infelicior fili ī bello fames ac direptio pre
donū cui te reſeruabo. nā ⁊ ſi poſſit vita ſuperari. iugo
tamē ſeruitutis iugemur. veni ergo o mi nate eſto mi-
chi mater cibus predonib⁊ furor ſeculis fabula q̄ ſola
deerit cladibus iudeorum. Et hec cum dixiſſet protin⁹
filium ſuum iugulauit. tunc eundem igni ſuppoſitum
torret et medium conſumit mediumq̄ ſeruat obiectum
Et ecce predones confeſtim irruunt combuſte carnis
odore concepto mortē minant̄ nec ſine mora cibos q̄s
paratos ſenſerat demōſtraret tūc illa partē vobis optimā
reſeruaui et ꝯtinuo q̄ ſupfuerāt mēbra detexit infantis

mulier q̄ comedit filiū ſuū

ac illos repente ingens horror inuasit et in maius q̄s-
uis diriguere cū aīmi vox ē faucib⁹ interclusa· illa ve
ro trutulēto vultu et ipsis predonib⁹ trutulencior mei⁹
inquit filius est paratus et in meū est sacianus· edite nā
ego prior comedi quē genui · nolite vos effici matre
religiosiores aut femīa meliores q̄ si vos pietas vin
at et meos expectamī cibos ego q̄ iā talib⁹ pasta sum·
hijs iterū pascar· post hec illi perterriti trementesq̄ di-
scedūt qui hūc solū ex omīb⁹ facultatib⁹ misere matri
cibū relinquerant· Innocens punitur nocens absolvitur

Nemo se cōfidat expertem qui se nouit immunē a
culpa q̄ stat videat ne cadat· nā sepe damnatur
innocens et nocens absoluit̄ pius punit̄ et impius ho
norat̄ Jhesus crucifigit̄ et barnabas dimittit̄· hodie
vir quietus inutilis vir religiosus ypocrita vir sim-
plex fatuus reputat̄ et deridetur· vt ait Job Justi sim-
plicitas lampas cōtempta apud cogitacōnes diuitū·

Incipit scđa pars·


De culpabili humane cōuersacōis p̄gressu· i
De cupiditate· ij
De iniquis muneri b⁹· iij
De accepcōne personarum· iiij
De vendicōne iusticie· v
De miserabili desiderio cupidorum· vi
Quare cupidus saciari non potest· vij
De falso nomine diuiciarum· viij
De exemplo contra cupiditatem· ix

De poſſeſſione diuiciarum . x
De licitis opibus. xi
De incertitudine diuiciarum. xij
De ſuperflua ſollicitudine cupidorum. xiij
De auaro et cupido. xiiij
De auaricia cũ dicatur ydolorũ ſeruitus . xv
De quibuſdã proprietatibus auaricie. xvi
De gula. xvij
De exemplo contra gulam. xviij
De ebrietate. xix
De exemplo contra ebrietatem. xx
De luxuria . xxi
De generalitate luxurie. xxij
De diuerſis generibus luxurie . xxiij
De coitu contra naturam . xxiiij
De pena huius ſceleris. xxv
De ambicioſo. xxvi
De nimia concupiſcentia ambiciõis. xxvij
De exemplo ambicioſo. xxviij
Qd̃ miſera ⁊ breuis eſt vita magnatũ. xxix
De diuerſis ꝓprietatibus ſuꝑborũ . xxx
De ſuꝑbia et caſu luciferi. xxxi
De abominacõe ſuꝑbie ⁊ arrogãtia hoim xxxij
De abominacõne ſuperbie. xxxiij
Contra fraudem ſuperborum xxxiiij
Contra fraudem ambicioſorũ. xxxv
De ꝓprietatibus arrogacõnum . xxxvi
De ſuperfluo cultu. xxxvij

Contra ſuperfluum ornatum. xxxviij
Qd plus deferat veſtibus q̄ꝫ virtutibꝫ. xxxix
De fuſcacōe coloꝝ ꝛ ornatu pſone mēſe ꝛ domꝰ. xl
De dampnabili huāne diſſolucōis ingreſſu. xli
De doloribꝫ q̄s mali patiunt in morte. xlij
De aduētu criſti ad diē mortis cuiuſlibet hōis xliij

De miſeria humane condicionis p̄ſſu

Tria ſolent hoīes maxime affectare. ſcilicet opes voluptates et honores. De opibꝫ praua. de voluptatibꝫ turpia de honoribꝫ varia alia vana ꝓcedūt hinc em̄ Johes ait. Nolite diligere mundū neqꝫ ea q̄ in mundo ſūt. om̄e em̄ qd eſt in mūdo aut eſt cōcupiſcentia carnis aut oculorum aut vtriuſqꝫ. ꝛ ɔcupiſcē tia oculorū ē ſupbia Cōcupiſcentia oculorū ad opes ſupbia vite ptinet ad honores. Opes generāt cupiditatē et auariciā voluptates pariūt gulā ꝛ luxuriā. honores nutriūt ſuperbiā et iactātiā. De cupiditate

Nichil eſt ergo auaro celeſtius ꝛ nichil iniquius q̄ꝫ amare pecuniā. Verbū ſapientis eſt qd cōfirmat ap̄ls dicens. Qui volūt diuites fieri incidūt in temptacōem in laqueū dyaboli ꝛ deſideria multa et inutilia ꝛ nociua q̄ mergūt hoīes in interitu ꝛ pdicōne Radix em̄ om̄ū malorū cupiditas. hec ſacrilegia cōmittit et furta. rapinas exercet et predas bella gerit et homicidia. ſimoniace vēdit et emit inique petit recipit et iniuſte negocia ffenorat inſtat ꝛ imminet fraudibꝫ diſſoluit pactū et violat iuramentū corrūpit teſtimonīū ꝛ puertit iudiciū. De iniquis muneribꝫ

Onſule ꝓphetã euãgelicũ yſayam · omes inquit qui diligũt munera ſecũtur retribucões pupillo nõ iudicant et cauſa vidue nõ ingredit̃ ad illos · Nõ ipſi precedũt retribucões qꝛ nõ iudicãt amore iuſticie ſꝫ retribucões ſecunt̃ ipſos qꝛ iudicãt amore pecunie · ſemꝑ eñ ſecunt̃ largicõem vel ꝓmiſſionẽ vł ſpem retribucionis ⁊ ideo pupillo nõ iudicãt a q̃ nichil largitur aut ꝓmittit̃ vel ſpectat̃ audi cõtra hos ꝓphetã yſaiã o principes infideles ſocij furũ qꝛ oẽs diligitis munera ſequimini retribucões nunq̃ excutitis manũ a munere niſi prius excludatis cupiditatẽ a pectore ve vob inq̃t ꝓpheta ezechiel · principes eñ q̃ſi lupi rapiẽtes predã ⁊ auare ſectãtes lucra Itẽ principes eius i muneribus iudicabũt ⁊ ſacerdotes ei⁹ i mercede docebant · Et ꝓphete eñ i pecunia diuinabãt ecõtra dñs per moyſen precepit in lege deutronomij iudices a magiſtros cõſtitues i oĩbꝫ ꝑtibꝫ tuis ut iudicẽt ꝑplm iuſto iudicio nec in alterã partẽ declinẽt nec accipies ꝑſonã nec munera quia munera excecant oculos ſapientum et commutant verba iuſtorum · Sed iuſte quod iuſtum eſt perſequeris vt viuas · · et ideo dicit quod iuſtum eſt · Alij quod iuſtum iniuſte · Rurſus quidem iniuſte qđ iuſtum eſt · Alij iuſte quod iniuſtum eſt perſecuntur ·

## De accepcione ꝑſonarum

Ve vobis qui corrupti prece vel precio · qui tracti amore vel odio dicitis bonum malũ et malũ bonũ lucem tenebras et tenebras lucẽ mortificãtes animas q̃ nõ moriũtur et iuſtificãtes aĩmas q̃ nõ viuũt

Vos em̄ nō attēditis merita cauſaꝝ ſ merita pſonaꝝ nō iura ſ munera nō iuſticiā ſ pecuniā · nō qd̄ racō dicteᷓt ſ qd̄ volūtas affectet · nō qd̄ lex ſētiat ſ qd̄ mēs cupiat · nō inclinatis aīmū ad iuſticiā ſ iuſticiā incli natis ad animum · non ut quod licet hoc libeat · ſed ut liceat hoc quod libet · nunq̄ in vobis ita ſimplex eſt oculus ut totum corpus ſit lucidum · ſed aliquid ſemp admiſcetis fermēti quo totā maſſam corrūpitis · Pauperē tamē cū mora negligitis · diuitū cauſā cū in ſtantia pmouetis · in illis rigorē oſtenditis · cū iſtis ex māſuetudine diſpenſatis · illos cū difficultate reſpi citis · iſtos cū fauore tractatis · illos negligenter audi tis · iſtos ſubtiliter auſcultatis. Clamat paup et nul lus exaudit · loquit̄ diues ⁊ oīs applaudāt eccāſt · Locutus eſt diues ⁊ oīes tacuerūt ⁊ verbū eius uſqꝫ ad nubes pduxerūt · paup locutus eſt ⁊ dicūt hic q̄s ē hic ⁊ ſi offenderit ſubuertit illū · clamat impatiens et nullus exaudit vociferat̄ et nō ē qui iudicet · Si forte cauſā pauperū ſuſcipitis illos remiſſe fouetis · Cū aūt diuitū cauſā aſſumitis illos pertinacit̄ adiuuatis Pauperes deſpicatis · diuites adiuuatis vel honoratis · Iſtis reuerenter aſſurgitis · illo deſpicabiliter cōculca tis · ſ ſi introierit ait Jacob apl'us · In ꝯuentu veſtro vir ānulū habens ⁊ incendatis in eū qui indutus eſt veſte preclara ⁊ dicatis ei tu hic bene ſede · ſ pauperi di catis tu ſta hic aut ſede ſub ſcabello pedū meorū · Non ne iudicatis apud voſmetipſos ⁊ facti eſtis iudices co gitacōnū iniquarū · De vobis em̄ et cōtra vos dicit

propheta Jer. Magnificati ſūt et ditati ſūt et impin
guati ſūt ⁊ incraſſati cauſā pupilli dixerunt ⁊ iudiciū
paupis nō iudicauerūt ꝫ in lege precipit ī deutrono
mij. Nulla erit diſtantia pſonarū ita paruū audietis
ut magnū. nec accipietis cuiuſq̄ pſonā ⁊ qꝛ dei iudi-
cū eſt nō eī̄ accepcō pſonarū eſt apud deū. De ven
Vos aūt nec graciā gratis datis nec dicōe iuſti-
iuſticiā iuſte redditis qꝛ niſi venit ꝑuenit nec da
tur niſi vendat. ſepe eī̄ iuſticiā tm̄ differtis ut litigan
tibꝫ plus q̄ totū auferatis qꝛ maior ē ſūptus expenſe.
q̄ fruct⁹ ſententie In ep̄l'a canonica. Nō aūt poteritiſ
illi in diſtricto iudicō r̄ndere q̄ precapit ī matħ. gratiſ
accepiſtis gratis date lucrū ī arca dampnū in oſciētia
pecuniā ħ captatis ꝫ aīam captiuatis In matħ. q̄d ꝑ
ficit hoī ſi vniuerſum mundū lucretur. aīe vero ſue de
trimentū paciatur aut quā dabit homo comunicacōnē
pro anima ſua. In pſalmo. Frater non redimet. redi
met homo nō dabit deo placacionē ſuam. nec preciū
redempcōnis ſue laborabit in eternū et de fine vſq; in fi
nem Audite cōtra vos diuites Jacobꝫ ap̄l's ī ep̄l'a ca.
agite nūc diuites id ē plorate ⁊ vlulate ī miſerijs v̄ŕiſ
q̄ aduenient vob̄ diuiciē v̄ŕe putrefacte ſūt ⁊ veſtimēta
v̄ŕa a tineis ↄmeſta ſūt auꝝ ⁊ argentū v̄ŕm erugina-
bit et erugo eoꝝ erit vobis ī teſtimoniū ⁊ mandabit
carnes v̄ŕas ſicut ignis Ep̄l'a ca. Theſaurizate vobis
irā ī nouiſſimis diebꝫ. Ecce merces operarioꝝ v̄ŕoꝝ q̄
meſſuerūt regiones v̄ŕas q̄ fraudate ſūt a vobis cla
māt ⁊ clamor ipſoꝝ in aures dn̄i ſabaoth introiuit.

propterea veritas precipit in euāgelio Mathei. Noli
te theſaurizare vobis theſauros in terra vbi erugo et
tynea demolit̄ et vbi fures effodiūt et furant̄.

**De inſaciabili deſiderio cupidorum**

IGnis inex
tinguibilis cupiditas inſaciabilis. Quis vnq̄ cupidꝰ
voto contentus cum adipiſcitur quod optauerat deſi-
derat amphora ſemper in habendis ⁊ nunq̄ in habitis
finem conſtituit eccāſt. Inſaciabilis eſt oculus cupi-
dus ⁊ in partem iniquitatis nunq̄ ſaciabitur. Sa
lo. Auarꝰ nō impletur pecunia ⁊ q̄ amat pecuniā fru
ctum nō capit ex ea. Infernus ⁊ cupidus nunq̄ im-
plent̄ ſimiliter ⁊ oculi hoīnū inſaciabiles In parabo.
Sāguiſuge due ſūt filie dicētes. Affer affer creſcit a
mor munerū q̄tū pecunia creſcit.

**Quare cupidi nō pt ſaciari**

COpide vis ſcire q̄re
ſemp es vacuus ⁊ nunq̄ impleris. Aduerte nō
eſt plena menſura tua. que quantūcūq; retineat ad-
huc capax eſt amphoris. ſ; humanus animus capax
eſt dei Apls. Qui quis adheret deo vnus ſpiritꝰ eſt
cū eo q̄tū libet ergo cōtinet. Auarus nunq̄ eſt plenꝰ
niſi deū habeat cuius ſemp eſt capax. Si vis ergo cu
pide ſaciari deſinas eſſe cupidꝰ q2 cū cupidꝰ fueris ſaci
ari nō poteris Apls. Nō eſt ergo cōuentio lucis ad
tenebras neq; criſti ad belial. Quis poteſt ſeruire deo
et māmone.

**De falſo nomine diuiciarum**

O falſa diuiciaꝝ felicitas alias facultas quē diui
tem efficias veraciter infelicē Quid em̄ falſius q̄
opes mūdi que diuicie nuncupantur. Oppoſita ſunt

eſſe diuitē et egenū et opes mūdi nō auferunt ſed affe runt egeſtatē Salo. Magis enī ſufficit modicū pau peri q̄ plurimū diuiti. qm̄ vbi multe diuicie ibi mul ti qui comedunt illas. Quot ꝛ q̄ti magnati indige ant et ipſemet experiar. Opes itaqꝫ nō faciūt diuitem ꝫ egenū vn̄ verſificatoꝛ ait. Cui ſatis eſt qd̄ habet ſatis illū cōſtat habere. Cui nichil eſt qd̄ habet ſatis illū cō ſtat egere. Ergo facit virtus nō copia ſufficientem. Et nō paupertas ꝫ mentis hiatus egentē. De exō n̄ cupiditatē

Uā multos ſeduxit cupiditas q̄ plures ꝑdidit auaricia Innumeri. Balaā aſellū redarguit ꝛ pedem ꝫ pedē ſedentis attriuit q꜡ captus cu pidine ꝓmiſſoꝝ diſpoſuit maledicere iſraheli. In Jo ſue Achoꝛ populus lapidauit quia tulit aurū et argē tum de anathemathe iericho. In tercio regum nabuch interemptus ut achab vineā poſſideret Ziezi coꝛ lepra per cuſſus quia pecijt et recepit aurum et argentum ꝛ ve ſtes ſub nomine helizei. In matheo. Judas laqueo ſe ſuſpendit quia tradidit et vendidit criſtum. In acti bus apoſtoloꝛum anaman ꝛ ſaphirā ſubito mors ex tinxit quia de precio agri defraudauerunt apoſtolos. Zacharias edificauit tirus municionem ſuam coacer uauit aurum quaſi humum ꝛ argentum quaſi lutum platearū. ꝫ ecce dn̄s poſſedit eā ꝛ percuciet in mari forti tudinē ei⁹ ꝛ hec igne deuoꝛabit. De poſſeſſiōe

Erū eſt ergo qd̄ ſalo. ꝓteſtat multos ꝑdidit au rū ꝛ argentū. q̄ aūt aurū diligit nō iuſtificabit de illis q̄ ſectant illud in pſalmo. ecce ipſi peccatoꝛes

diuiciarum

et abūdantes in ſeculo obtinuerūt diuicias. Hinc ve
ritas ipſa precipiebat ap̄lis. In math. Nolite poſſide
re aurū nec argentū neq3 pecuniā in zonis v̄ris. quia
ſicut camelus nō poteſt ptranſire foramē acus ita dif
ficile eſt diuitē ad regnū celorū intrare. Arta ei ē via
et anguſta porta p quā itur ⁊ intrat̄ ad vitā. Ap̄ls er
go ſecutus regulā veritas aiebat. Argentū ⁊ aur̄ nō
eſt michi. Yſayas. Ve ergo q̄ cōiungitis domū ad do:
mū ⁊ argentū auro copulatis vſq3 ad terminū loci.
Repleta eſt terra auro ⁊ argento ⁊ nō eſt ibi finis the
ſauror̄ eius ꝓpter iniquitatē auaricie eius iratus ſum
et pcuſſi eū. De licitis opibus

Q Etrorū abrahā diues fuit Job. Locuplex. da
uid opulentus et tamē de abrahā dicit ſcriptu:
ra. q2 credidit deo et reputatū eſt illi ad iuſticiā. et de
Job dicit̄. Quia nō erit ei ſimilis vir ſimplex ī terra
et rectus ac timens deū et recedens a malo. De dauid
aūt dicit ſcriptura in libro regū. Quia deus inuenit
ſibi virū ſcd̄m cor̄ ſuū ac iſti fuerūt quaſi nichil habē
tes ⁊ omnia poſſidentes ſcd̄m illud pſalmi. Diuicie ſi
affluāt nolite cor apponere nos aūt ſumus om̄ia poſ
ſidentes. q2 nichil habentes ſcd̄m illud pſalmiſte. Di:
uites eguerūt et eſurierunt. Facilius ergo inuenies q̄
diligit diuicias et nō habet q̄3 q̄ habet diuicias et non
diligat. q2 ſicut difficile eſt eſſe in igne et nō ardere ⁊
ita difficilius poſſidere diuicias et nō amare. Audi ꝓ
phetā Jeremiā. A minore uſq3 ad maiorē oēs auari:
cie ſtudent. Et a propheta uſq3 ad ſacerdotem omnes

facient dolum de multitudine diuiciarum

Omnis cupidus et auarus contra naturā nititur et molitur. Natura nanqȝ pauperem adducit in mūdo. Nudū enī terra ſuſcipit et nudū in terra ſuſcipiet. Cupidus aūt cupit et curat fieri diues in mundo In Luc. Destruā inquit horrea mea et maiora eis faciam et illuc cōgregabo oīa que michi nata ſūt et omnia bona mea. ſed o ſtulte hac nocte rapietur aīma tua a te. q̄ aūt paraſti cuiꝰ erūt. Jn pſalmo theſaurizas et ignoras cui cōgreges ea Jn pſalmo. Dormierūt ſompnū ſuū et nichil inuenerunt oēs viri diuiciarū in manibus ſuis. Diues cum dormierit nichil ſecum afferet aperiet oculos ſuos et nichil inueniet. Jn pſalmo. Ne timueris cū diues factus fuerit homo et cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniā non cum morietur accapiet hec omnia. neqȝ ſimul deſcendet cum eo gloria domus eius. ſed relinquit alienis diuicias ſuas. Et ſepulcrum eorū domus eorum in eternū. Hinc etiā ſapiens teſtat in eccāſt. Qui aceruat ex nō ſuo iniuſte alijs cōgregabit et bonis ſuis alius luxuriabit per dolorē quē habebit hoſtem dimittet heredē de superflua sollicitudine cupidorum

Qur ad aggregādū q̄s inſiſtit cū ſcire nō poſſit ille q̄ congregat Job. Nā q̄ſi flos egredit et conterit et fugit velud vmbra et nunq̄ in eodē ſtatu pmanet cur multa deſiderē cū multa pauca ſufficiāt Apl's. Habentes inquit victum et veſtitū hijs contenti ſitis. Cur neceſſaria cum multa ſollicitudine querāt. cū ipſa ſine magna difficultate ſe offerāt

Audi quid ſup hoc veritas dicat in euāgelio Mathei Nolite ſolliciti eē dicentes quid mādueabim⁹ aut qđ bibamus aut q̄ operiemur. Scit enī pater noſter cele ſtis q̄ hijs om̄ib⁹ indigetis. Querite ergo primū re: gnū dei ⁊ iuſticiā eius ⁊ om̄ia hec adicient vobis In pſalmo. Nunq̄ vidi iuſtū derelictū nec ſemē eius que rens panē. de auaro ⁊ cupido

Salomon tantulus ſitit ī vndis. ⁊ auar⁹ egēt ī opib⁹ cui tm̄ ē qđ habet q̄tū ē qđ nō h̄z q̄ nūq̄ vti curat q̄ſitis ſed ſemp inhiat acquirendū In para. Salo. eſt q̄ſi diues cū nichil habeat. ⁊ ē q̄ſi paup cū in m̄ltis diuitijs ſit auarus ⁊ nō infirm⁹ vtrq̄ꝫ come dit et nō dirigit recipit ⁊ nō reddit. auar⁹ nec patiē tib⁹ cōpatit̄ nec miſeris miſeret̄ ſꝫ offendit deū offēdit proximū ⁊ offendit ſeipm̄. Nā dei detinet debita pri: mo denegat neceſſaria ⁊ ſibi ſubtrahit oportuna. deo ingratus primo impius ⁊ ſibi crudelis. In eccāt. vi ro cupido ⁊ tenaci ſine racōne eſt ſubſtātia ⁊ hoīm cu pido aliq̄d aurū ⁊ q̄ ſibi neq̄ eſt qūo alijs bon⁹ erit ⁊ iocūdabit in bonis ſuis Johes ī ep̄la canoīca. Qui habet ſubſtātiā hui⁹ mūdi ⁊ videt fratrē ſuū neceſſita tem pacientē ⁊ claudit viſcera ſua ab eo qūo caritas dei manet in illo. Nō enī diligit primum ſuū ſicut ſe ipſū quē media pimit in egeſtate conſumit neq̄ꝫ dili git deū ſup om̄ia cui prefert aurū ⁊ p̄ponit argētū.

Recte diffi de auaricia cū dicat ydoloꝝ ſeruitꝰ nit ap̄ls. Auaricia eſt ydoloꝝ ſeruitus. Sicut enī ydolatra ſeruit ſimlacro ſic et auar⁹ ſeruit theſauro

Nā ille cultus ydolatrie diligenter amplificat · ⁊ iſte cumulū pecunie libenter augmentat · ille cū omī dili-gentia colit ſimulacrū · ⁊ iſte cū omī cura cuſtodit theſaurū · ille ſpem ponit in ydolatria · et iſte ſpem ponit in pecunia · ille timet mutilare ſimlacꝝ ⁊ iſte timet minuere theſaurū · De q̄buſdā ꝓprietatibꝰ auaricie

Auarus ad petendū promptus ad dandū tardus ad negādū fructuoſus · ſi q̄d expendit amittit totū triſtis q̄rulus moroſus ⁊ ſolliatus ſuſpirat ⁊ anxiatur dubius heret inuitus expendit magnificat datū ſꝫ vilificat dandum dat ut lucratur ſed non lucratur ut det largus in alieno ſed parcus in proprio gulam euacuat ut arcam impleat corpus exterminat ut lucrū extendat · In eccāſt · Manus habet ad dandum collectam ſed ad recipiendum porrectam ad dandum clauſam ſed ad recipiendū apertam · In eccāſt · Porro ſubſtantie iniuſtorum ſicut flumīs ſiccabitur · quia qui male congregat cito diſpergit iuſtum iudiciū vt quecunqꝫ de malo prouenīūt ad malū perueniunt nec attendat ad bonū q̄ nō ꝑdit ex bono · Auarꝰ ergo habet dāpnacionē vite q̄ nūc eſt ⁊ future · De gula

Inicū vite homīs panis et aqua et veſtimentum et domus protegent turpitudinem · nunc autem guloſis non ſufficiunt fructus arborum · non grana ligumīnū non radices herbarum non piſces maris nō beſtie terre non aues celi · ſed querūtur pigmēta ꝯparant aromata nutriuntur altilia capiuntur obeſſa q̄ ſtudioſe coquent arte cocoꝝ q̄ laute parantur officiō miniſtrorū ·

Alius cõtendit ꝛ colat alius reficat ꝛ cõficiat· ſubſtãtiã vertit in accidens· naturã mutat in artem ut ſaturitas trãſeat in eſuriẽ ut faſtidiũ reuocet i appetitũ ad irritã dũ gulã nõ ad ſuſtentandũ naturã· nõ ad neceſſitatem ſupplendã ſ; ad auiditatẽ explendã· Ceterũ tã breuis eſt gule voluptas ut ſpacio loci vix ſit q̃tuor digitorũ ſpacio tẽpis vix ſit totidẽ momentorũ· cõtemnit mediocritas ꝛ ſuperfluitas affectatur· In diuerſitate ciborum ꝛ varietate ſaporũ auiditas neſcit modũ ꝛ voracitas neſcit menſurã ſ; inde grauatur ſtomachus turbatur ſenſus opprimitur intellectus ꝛ non ſalus ꝛ ſanitas ſed morbus ꝛ mors. Audi ſuper hec ſententiã ſapientis In eccaſt· Noli auidus eſſe in om̃i epulacõne ꝛ nõ te effundas ſuper omnẽ eſcã Apl's· In multis eñi eſcis erit infirmitas ꝛ propter epulã multi obierũt· Eſca ventri et venter eſcis· deus aũt ꝛ has deſtruet. De exp̃o cẽñ Gulam·

Gula cauſam tributũ exigit ſ; viliſſimũ reddit · ꝛ q̃nto delicõra ſũt cibaria tanto fetidiora ſũt ſtercora. Turpius egerit qđ turpit ingerit ſupius ꝛ inferius horribilẽ flatũ exprimens et abominabilẽ ſonũ emittens In geneſ· Gula paradiſũ clauſit primogenita vendidit ſuſpẽdit paſtorẽ decollauit baptiſtã In math· Nabucardã princeps equorũ templũ intendit ꝛ totã ihrl'm euertit· In daniele balthaſar in cõuiuio manũ cõtra ſe ſcribentẽ aſpexit mane techel phares eadẽ nocte interfectus eſt a caldeis In exodo· Sedit ppl's mãducare ꝛ bibere et ſurrexerũt ludere ſ; adhuc eſca eorũ erat in ore ipſorũ et ira dei aſcendit

ſup eos qui veſcebant voluptuoſe interierunt in vijs In Luc. Diues ille qui epulabat cottidie ſplendide ſepultus eſt in inferno. De Ebrietate

QUid turpius eſt ebrioſo cui fetor in ore tremor in corpe q̄ pmittit ſtulta procedit occulta. Cum mens alienat facies trāſformat Salomon. Nullū ei ſecretū vbi regnat ebrietas fecūdi calices quē nō fecere deſertū. Porro nō ſuffiat vinū nō ſicera nō ceruiſia ſed ſtudioſe confiatur mulſū. ſiruppus claretū labore multo ſollicitudine multa ſumpto nō modico. ſed inde contencōnes et rixe lites et iurgia In ecc̄aſt. Vinū eñ multum paratū alias potatū vt ait ſapiens irritacionē et iram ⁊ ruinas multas facit In ecc̄aſt. ⁊ oſee. Fornicacō et vinum et ebrietas auferunt cor. propterea dicit Apoſtolus. Fugite vinū in quo eſt luxuria Ebrioſa res vinum ⁊ tumultuoſa ebrietas Jer. Filij Rechab et filie zacharie vinū et ſiceram ⁊ omne quod inebriare poterat nō biberūt. De exemplo q̄ ebrietatis

EBrietas enim noe nudauit inceſtum commiſit. In libro regum filium regis principem occidit exercitibus iugulauit. Verū eſt quod ſalomon ait. Vocantes potib9 et dantes ſimmala conſumuntur. Et yſayas. Ve qui eſuriunt mane ad ebrietatem ſectandā ⁊ potādū uſqꝫ ad veſperā ut vino eſtuetis. Cithara ⁊ lira timpanū ⁊ tuba ⁊ vinū i cōuiuijs vřis. Ve q̄ potētes eſtis ad potādū vinū ⁊ viri fortes ad miſcendū ebrietatē. ecce gaudiū ⁊ leticiam occidere vitulos ⁊ iugulare arietes. comedere et bibere vinum

Comedamus et bibamus cras enim moriemur et reuela ta est gloria dñi exercituũ in auribus meis. Si dimit tatur hec iniquitas nobis donec moriamur. Ve co rone ſuperbie Effraim ſacerdos et propheta neſcierũt pre ebrietate abſorti ſũt a vino neſcierunt videntẽ et igno rauerũt iudiciũ. Pudor cũ ad prenũciãdũ euangelicã lectionẽ cũ a quodã prẽ benedictio peteretur heſternã crapulã et nocturnã ebrietatẽ eructuãs fertur alta vo ce dixiſſe. potũ ſeruorum ſuorũ benedicat rex angelorũ.

## De luxuria

Pero turpis mater filiã generat turpiorẽ. In apl'o. Iuſtum eſt enim ut qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc. Oĩs adulteran tes quaſi clibanus accenſus a coquente. Ceperũt furere principes a vino venter enim opipare ſatur libenter ve nerẽ amplexatur. O extrema libidinis turpitudo que non ſolũ mentẽ effeminat ſed corpus eneruat nõ ſolũ macu lat animã ſed fedat pſonã apl's. Omne nãque peccatũ qd homo facit extra corpus eſt qui aũt fornicatur in cor pus ſuũ peccat. Semper ardor illã precedit et poſtulẽ tiam ſemper comitatur fetor et immũdicia ſemper ſecum dolores et penitẽtia. Salo. Fauus ei diſtillãs labia me retricis et nitidius oleo guttur eius. Nouiſſima autem ipſius amara quaſi abſinthium et acuta quaſi gladius bi ceps.

## De generalitate luxurie

Familiaris eſt inimicus habitãs nõ procul ſed prope. nõ tantũ interius ſed exterius. Iob. Nã virtus eius in lũbis eius et fortitudo eius in vmblico ventris eius. Nunquam fugatur niſi cũ fugitur. Nunquam mactatur

niſi cū maceratur ad cauſam exigit libertatē ⁊ abūdan
tiam ſed reperit ad effectū facultatem et ad iacturam·
Hec omnē etatem corrūpit omnē ſenſū confūdit om-
nē ordinē ſoluit omnē gradū peruertit · Inuadit eñ
ſenes et iuuenes mares et feminas prudentes et ſimpli
ces ſuperiores et inferiores · ad extremū etiā ſacerdotes
qui nocte venerē amplexantur mane virginē venerā-
tur · turpe dictu ſed turpiſſimū actu · diei liceat ut agi
nō libeat · nocte filiū veneris agitant in cubili mane
filiū virginis offerūt in altari · De diuiſis gradibus luxurie

Quis eñ multiplices ſpecies va
leat ſufficienter explicare · Hec eñ penthapolis
cū fornicatores adiacenti regione ſubuertit · ſichen cū
populo ſodomitica interemit · hec ⁊ omnes filios iude
percuſſit · Iudeū et madianitē pangiones tranſfodit ·
tribū beniamin inuidos torpatores et raptores forni-
catores ꝑ vxore leuite deleuit · filios hely proſtrauit
in bello · Hec vriam occidit · Amon interfecit · preſbite
ros lapidauit · hec Ruben maledixit Sampſonē ſedu-
xit · Salomonem peruertit · In eccaſt · Verum eſt er
go quod legitur propter ſpeciem mulieris multi perie
runt · Nam vinum et mulieres faciūt apoſtotare ſapi-
entem et arguunt inſenſatos · Salomon · Hec mul-
tos vulneratos deiecit · et fortiſſimi viri quinqꝫ inter
fecti ſunt ab ea · Vie inferi domus eius penetrantes in
interiora mortis · Hec vires eneruat · ſenſus dimi-
nuit · dies conſumit · opes effundit · etcetera ·

De Coytu contra naturam

Hec ignominioſam morphoſim opatur quã aplꝰs ad romanos nõ cõfidit noĩare. ꝓpterea inquit Tradidit illos deus in poſſeſſiones ignominie. Nam femine eorũ cõmutauerũt naturalẽ vſũ in eũ qui ẽ cõtra naturã. ſimiliter ⁊ maſculi in maſculos turpitudinem turpius opantur. Quid hac turpitudĩe turpius. Quid hoc crimine criminoſius in lege q̃ſi paria coniungunt cũ cõcubitus maris cũ maſculo ⁊ coitus hominis cũ iumento. Sic eñ legit in leuitico. Cũ maſculo nõ cõmiſceberis coitu femineo qꝛ abominacõ eſt Cũ pecore nõ coibis neqꝫ cũ eo maſculaberis. vtriqꝫ par pena ſubſcribit. qui dormierit inquit cũ maſculo coitu femineo morte moriat. vtriqꝫ opati ſũt nephas Qui cũ iumento dormierit morte moriat pecus q̃ꝫ occidite. Qui habet aures audiendi audiat ymo qui deſpiciat reſipiſcat. De pena huius ſceleris

Pena docuit quid hec culpa ꝓmeruit In geneſ. Pluit eñ dñs ſup ſodomã ⁊ gomorrã ſulphur et ignẽ a dño de celo. Noluit dñs cuiqꝫ angelorũ vel hoĩm execucõem huiꝰ pene cõmittere ſ; ſibi ipſi vindictam huius ſceleris reſeruauit ſcdm illud In geneſ. Mea ẽ vicio ⁊ ego retribuã ⁊ ideo pluit dñs a dño videlicet a ſemetipſo. nõ ymbrẽ vel rorẽ ſ; ſulphur et ignẽ. ſulphur ſup fetorẽ luxurie. ignẽ ſup ardorẽ libidinis. Quatenꝰ pena ſimilis eſſet culpe nemini pepcit oculus eius ſ; oĩs ſimul extinxit vxorẽ loth que retro reſpexit in ſtatuã ſal mutauit nec ſolũ vrbes ſed etiã totã regionẽ in mare merſus eſt et vallẽ ſalmoꝝ

cõuertit Apls. Horrendũ eſt igiť incidere in man⁹ dei
viuẽtis qꝛ q̃to maiorẽ ſue longanimitatis exhibet pa
ciẽtiã tanto duriorẽ ſue ſeueritatis infert vindictam

de luxurie cupiditate

Opes inique cupidus cõ
gregat ⁊ auarus cõſeruat voluptates guloſus
deguſtat ⁊ luxurioſus exercet honores ambicioſus af
fectat ⁊ ſuperbꝫ extollit et ambicioſus ſemꝑ attendens
ne quid dicat vel faciat qd̕ in oculis hoĩm valeat di:
ſplicere humilitatem ſimulat honeſtatẽ mutiť affabili
tatẽ exhibet ⁊ benignitatẽ oſtendit ſubſequitur ⁊ allo
quiť cunctos honorat vniuerſis inclinat frequentat
curias optimatibꝫ aſſurgit et amplexatur applaudit
et adulatur. Bene nouit illud poeticum. Ouidius de
arte. Et ſi puluis erit nullus tamẽ excutet illũ. Prom
ptus eſt et feruidus vbi placere cognouit remiſſus et
tepidus vbi diſplicere putauerit. Improbat mala.
deteſtatur iniqua ſed alia cum alijs probat et impro:
bat ut iudicetur ydoneus et reputetur acceptus ut lau
detur ab hominibꝫ ut a ſingulis appetatur. Ecce gra:
uem intus ſe ſuſtinet pugnam difficilemqꝫ conflictum
dũ iniquitatis pulſat animum et ambicio cõtinet ma
nus. et quod illa ſuggerit faciendum hoc fieri non ꝑ
mittit. Colludũt tamen mater et filia adinuicem ini
quitatis et ambicio. Nã mater in aperto ſubſiſtit ⁊ in
occulto filia nõ reſiſtit hec ergo vendicat ſibi publicũ
illa ſibi ſecretũ Ambicioſus libenter agit de principatu
quẽ ambit et dicit. O qñ principaliter ille q̃ ſeuer⁹ ſit
in iuſticia pius ĩ miſcdia q̃ nõ deuiet amore vel odio

corrūpat prece vel precio qui credat fidelib⁹ ⁊ acquie
ſcat ſimplicib⁹ qui ſit humilis ⁊ benign⁹ largus man
ſuetus conſtans patiēs ⁊ aſtut⁹ de iiii^a [illegible] ambicioſi
SJ forſan hac arte nō pficit recurrit ad aliā ad:
ducat ſimonē et accedit ad ziezi p hūc ergo ab
illo mitt emere qđ p ſe non preualet obtinere· ſuppli
cat ⁊ pmittit ·offert ⁊ tribuit pro pudore graciā quā
gratis adipiſci nō potuit p phas ⁊ nephas nititur adi
piſci nec deſiſtit adhuc ſ inſiſtit ⁊ inuadit violenter
honorē ⁊ impudenter accipit dignitatē· Amicoꝝ ſuffra
gio preſidio ꝓpinquorū ·tantoq; inflammat ambicō
nis ardore tanta libidine preſidenti ut ſciſmū nō hor
reat ſcandulū nō formidetur In libro regū · Si ziezi
lepra pcuſſit ⁊ ſimon periit cū pecunia· Certe ⁊ cōpli:
cib⁹ ignis cōſumpſit et dathan et abiron· terra viuos
abſorbuit Ap^{ls}· Nullus itaq; aſſumat ſibi honorem
ſ qui vocat a deo tanq̄ aaron· de exemplo a-
LJquidū ambicōnis exemplū· Exemplū biciosi
repitur de abſolone in libro regū qui cū aſpi:
raret ad regnū fecit ſibi ſertū ⁊ equites et quinq̄ginta
viros q̄ eū precederent ·Et mane cōſurgens abſolon
ſtetit iuxta introitū porte ·et omnē virū qui habebat
negociū ut veniret ad regis iudiciū vocabat ad ſe· et
dicebat. De qua ciuitate es tu· aiebat· Ex vna tribu
iſrahel ego ſū ſeruus tuus· Reſpōdebat ei abſolon· vi
dentur michi ſermones tui boni et iuſti ſ nō eſt qui te
audiat ꝯſtitut⁹ a rege· dicebatq; abſolon. Quis me
cōſtituet iudicē ſup terram ut ad me veniant omes q̄

habent negociũ ⁊ iuſte iudicē ſed cũ accederet ad eũ ho
mo ⁊ ſalutaret eũ · extendebat manũ ſuã ⁊ apprehendēs
oſculabat̄ eũ faciebat̄ hoc oĩni iſrahel · Cumq3 abiſſet
abſolon in ebron miſit exploratores in vniuerſas tri:
bus iſrl̄ dicēs ſtatim ut audiretis clamorē bucane re
gnauit abſolon in ebron ⁊ facta eſt cõiuracõ valida ·
ꝑfuſq3 cõcurrens augebat̄ cũ abſolone · miseãr brevis vita mãgti

SEd eſto qḋ ſublimetur in altũ
ꝓuehat ad ſummũ cure ſtatim ſue creſcũt ſolli
citudines cumulant̄ extenduntur ieiunia vigilie pro
ducunt̄ ex quibꝫ natura corrũpit̄ infirmat̄ ſpiritus cor
rumpit̄ ſomnus amittit̄ appetitus debilitat̄ virtus cor
pus attenuatur · Et ſic in ſeipſo deficiens nõ dimidiat
dies ſuos ſerui miſerabilē vitã miſerabiliori fine con:
cluditur · Verum eſt illud poeticum · In ſe magno ru
unt ſummiq3 negant eſt ſtare diu tolluntur in altum
vt lapſu grauiora ruant · Verius eſt aũt propheticũ
in pſalmo · Vidi impium ſuperexaltatum et eleua:
tum ſuper cedros libani · tranſiui et ecce non erat qui
eum cognoſceret · queſiui eum et non eſt inuentus lo
cus eius · Job · antequã dies eius impleantur peribit ·
ledetur quaſi vinea in flore botrus eius · et ſicut oliua
florem producens · Audi ſuper hoc ſententiam ſapien
tis in eccleſiaſt̄ · Omnis potentatus vita breuis ·

De diuisis ꝑtatibus supbor

STatim autem ut ambicioſus ad honorem eſt
promotus · in ſuperbiam extollitur · in iactan
tiam effrenat̄ nec curat prodeſſe ſed gloriatur preeſſe

preſumit ſe meliorē q͛ cernit ſe ſupbiorem ac bonū fa
cit nō gradus ſed virtus nō dignitas ſ honeſtas· pri
ores dedignat͛ amicos ignorat comites cōtempnit an
tiquos multū auertit viſū extollit ceruicē erigit faſtū
oſtendit grandia loquit͛ ſublimia cogitat͛ ſubeſſe nō
patit͛ preeſſe molit͛ prelatis infeſtus ſubditis oneroſ⁹
moleſtia nō ſuffert cōtempta nō differt preceps ⁊ au-
dax glorioſus ⁊ arrogans grauis ⁊ importunus·

De ſupbia ⁊ caſu luciferi

Superbia cūctis importabilis omib⁹ odioſa inter oīa vicia tu
ſemp es prima· tu ſemp es vltima· Nā omne peccatū
te attendente cōmittit͛ te recedente dimittit͛ In eccāſt·
ſcriptū eſt· Initiū oīs peccati eſt ſupbia Iob· Pri-
mogenita mors hec inter ipſa rerū primordia creatu
ram contra creatorē erexit angelū contra deū· ſ eū abſ
q͝ mora deicit qui in veritate nō ſtetit ab innocencia
in peccatū a delicijs in miſerijs a celo empireo in ae-
rem caliginoſū· Audi yſayam ꝓphetā· Quo cecidiſti
lucifer qui mane oriebaris qui dicebas in corde tuo·
In celū aſcendā ſup aſtra celi exaltabo ſoliū meū· Se
debo ſup monte͛ teſtamenti in lateribus aquilonis · Aſcē
dam ſup altitudinē nubiū ⁊ ſimilis ero altiſſimo Eze
chiel· Tu ſignaculū ſimilitudinis plenus ſapientia et
ꝑfectus decore in delicijs paradiſi dei fuiſti· Omnis la-
pis precioſus operimentū tuū· ſardis thopaſi⁹ et iaſpis
criſolitus oīs ⁊ berillus ſaphir⁹ carbunculus ⁊ ſma
ragdus aurū opus decoris tui. Tu cherub extenſus et
ꝓtegens ⁊ poſui te in monte ſācto dei ī medio lapidū

ignitorꝶ· corã me ambulaſti pfectus in vijs tuis ⁊ die cõdicõis tue donec inuẽta eſt iniquitas in te ·peccaſti et eiecí te de monte dei. eleuatũ eſt cor tuũ ĩ decore tuo et in terra piecí te Job· Cedri nõ fuerũt altiores illo In paradiſo dei abietes nõ equerũt ad ſũmitatem ei9· platani nõ fuerũt eq̃les frondib9 illius · Omĩe lignũ paradiſi precioſũ nõ eſt aſſimulatũ pulchritudini ei9 qm̃ ſpecioſũ fecit eũ ĩ mltis cõdenſis frõdib9 Ipſe Job Regẽ ſup oĩs filios ſupbie In apoc· Ipſe eſt draco magnus rufus habẽs ſeptẽ capita ⁊ cornua decẽ· ⁊ ĩ capitib9 ſeptẽ diademata cui9 cauda trahebat terciã partẽ ſtellaꝶ celi et miſit illas in terrã ⁊ piectus ẽ ille draco magnus ſerpens q̃ vocat̃ diabolus et ſathanas q̃ ſeduxit vniuerſũ mũdũ et piect9 eſt ĩ terra ⁊ angeli ei9 cũ eo miſſi ſũt de q̃ veritas ait ĩ Luc· Videbã ſathanã q̃ſi fulgur de celo cadentẽ· nã oĩs q̃ ſe exaltat humiliabit̃ et q̃ ſe humiliat exaltabit̃· De abhominacõe ſupbie ⁊ arrogãcia hoim

SUperbia preſumptuoſa que non ſolũ angelos deo voluit adequare ſed homines preſumpſit deificare porro quos rexit depreſſit et quos exaltauit humiliauit· Hinc ait dñs ad pphetam ezechiel· Fili hominis dic principi tuo · Hec dicit dominus deus eo q eleuatum eſt cor tuum quaſi cor dei et dixiſti · Deus enim ego ſum· cum homo ſis et non deus· Idcirco ego adducam ſuper te robuſtiſſimos gentium · et interficient te · et in interitu morieris occiſorum· In daniele· Nabuch· qui ad iactantiam · vel potentiam ſuam ſuperbe iactauit · Et ait·

Nōne hec babilon quā ego edificaui in domo regis et in robore fortitudinis mee ⁊ in gloria decoris mei. Cū adhuc ſermo eſſet ī ore regis vox de celo ruit tibi dicit. Nabuch rex. Regnū tuū tranſit a te et ab hominib⁹ te abiciēt. ⁊ cū beſtijs feris erit habitacio tua. fenū quaſi bos comedes. et ſeptē tēpora mutabūt ſup te donec ſcias ꝙ excelſius dn̄atur in regno hoīm ⁊ cuicunqȝ voluerit det illud. Eadē hora ſermo cōpletus fuit ſup nabuchodonoſor. verū eſt ergo qd̄ legit ī pſalmo. Homo cū in honore eſſet nō intellexit cōparatus eſt iumentis inſipientib⁹ ⁊ ſimilis factus eſt illis. ſupbia turrim euertit ⁊ linguā cōfundit. proſtrauit goliam ⁊ ſuſpendit aman et interfecit nicanorem ⁊ pemit antiochū pharaonē ſubmerſit In eccāſt. Sedes ducū ſupborū deſtruxit deus et radices ſupborū gentiū arefecit.

## De abhominacōe ſupbie

Quā deteſtabilis ſit ſupbia dn̄s ipſe p ꝓphetam Amos teſtat. Jurauit dn̄s deus in anima ſua dicit dn̄s de⁹ exercituū. Deteſtor ego ſupbiā. Jacobus Exinaniuit dn̄s in ſupbia. Si oblit⁹ fuero uſqȝ in finem oīa opa eorū. vnde inter illa ſex ſūt que dn̄s odit ⁊ ſeptimū deteſtat anima eius In parabolis ſalo. Primū ponit oculos ſublimes id ē ſupbiam Yſayas Dies dn̄i exercituū ſup omnē ſuperbū et excelſū et ſuper omnē arrogantē ⁊ humiliabit ⁊ ſup omnes cedros libani ſublimes ⁊ erectos ⁊ ſup omnes querc⁹ baſan ⁊ ſup omnes montes excelſos ⁊ ſup omnes colles eleuatos ⁊ ſup omnē turrim excelſam ⁊ ſup omnē

murū munitū et incuruabit ſublimitas hominū ⁊ hu
miliabit altitudo viroꝝ· ꝓpterea dilatauit infernus
animā ſuā ⁊ aperuit os ſuū absqꝫ vllo termino· et de
ſcenderūt ſublimes glorioſiqꝫ eiꝰ ad eū· dñs exercituū
cogitauit hec ut detraheret ſupbiā oīs glorie· Job qꝫ
dicit· Si aſcendit uſqꝫ ad celū ſupbia et caput eiꝰ nu
bes tetigerit q̄ſi ſterq̄lmiū ī fine pdet· ꝯ fraudē ſi boꝛt
Omnis vero viciosꝰ diligit ſibi ſilem ſupbus aūt
elatū vñ ſalo· ī parabolꝭ Int̄ ſupbos ſemp ſūt iur
gia ⁊ ſi ibi fuerit ſupbia ⁊ ibi ꝯtumelia ſupus īſolita
geſcit ⁊ ꝯſueta faſtidit magnū reputat ſi loqui digneť
maximū ſi ſurgat ⁊ amplexeť eſtimat plus dignitatē
ab ipſo q̄ꝫ ipſū effectum a dignitate· nunq̄ꝫ vult vti
paternitatis affectu ſed ſemp vti dñacionis imperio·
Yſaias· Supbia eiꝰ ⁊ arrogātia eiꝰ ⁊ indignacō eius
pluſq̄ꝫ fortitudo eiꝰ reuoluit in aīo qd̄ legiť in euā-
gelio Luc· Facta eſt cōtentio inter diſciplos iħu quis
eoꝝ videretur maior· Et ait illis iħs· Reges gentiū do
mināť eoꝝ ⁊ q̄ ptātem ſup eos benefici vocāť vos aūt
nō ſic ſꝫ q̄ maior ē int̄ vos ſicut minor erit et q̄ pre-
ceſſor ſicut miniſtrator ⁊ petrꝰ aplōꝝ magiſter ī epła
ca· nō q̄ſi dñantes in terrā ſꝫ formati ex aīo· dñi ē ter
ra ⁊ plenitudo eiꝰ· vnꝰ ē ergo deus vnꝰ ē dñs ceteri nō
ſūt dñi ſꝫ miniſter q̄bꝫ interdiciť dñium ⁊ interdiciť mi
niſteriū Audi ſup hec ſapientē in eccāſt· Rectorē te po
ſuerūt noli extolli eſto in illis q̄ſi vnus ex ipſis· Coñ
Filij zebedei qui per iuuentū fraudē ab iꝛꝯ pꝛt
matris honorē poſtulauerunt a criſto in Luca

dic inquit ut ſedeant hij duo filij mei vnus ad dextrā
alius ad ſiniſtrā tuā in regno tuo · meruerunt audire
Neſcitis quid petatis · non honore ſꝫ onere ꝑuenitur
ad regnū vnde dn̄s ſubdit. Nō eſt meū dare vobis ·
meū eſt quidem dare ſꝫ non vobis ambicōſis quales
vos eſtis licet a deo om̄is poteſtas ſit · ſupbi tamē re-
gnant ſibi ⁊ non deo ſcd̄m illud poeticū Oſee · Ipſi re
gnauerunt ⁊ nō ex me · principes extiterūt ⁊ nō ognoui eos. De ꝓprietatibꝰ arogātiorū

Superbus amat cathedras in ſinagogis primos
recubitos in cenis · primas ſalutacōnes in foro
vocari ab om̄ibꝫ rabi · nō noīe ꝑſone ſꝫ noīe fortune
vult appellari nō ut homo ſꝫ ut deus vult honorari ·
Sedet ſublimis incedit excelſus vult om̄es ſibi aſ-
ſurgere ſingulos inclinare. Porro ph̄us quidā vo-
lens arrogantiā cuiuſdā regis eludere cū vidiſſet eū
in throno regali ſedere ſublimū ꝓſtratus in terrā ſup
pliciter exorauit ⁊ confeſtim nō inuitatus aſcendēs
iuxta cōſedit · qd̄ rex vehementer admirās eo ꝙ noſce
ret illū eſſe philoſophū · Quid hec egerit exquiſiuit ·
ph̄us vero reſpōdit aut deus es aut homo · Si deus
debui te adorare · ſi homo potui iuxta te ſedere · Rex au
tem rationi cōuertens contra philoſophū intulit · ymo
ſi homo debuiſti me adorare · ſi deus nō debuiſti iuxta
me ſedere · ſapienter iſte reſpōdit ſꝫ ille prudenter eluſit

Primis parentibꝫ. De ſuperfluo cultu
fecit deus perizomata poſt peccatū ⁊ a criſto dr
criſtianis In Luc. Nō aūt duas tunicas habeatis ſed

iuxta. Jobis cōſiliū Qui habet duas tunicas det vnā
non habenti. Superbus aūt vt magnificus videatur
Satagit veſtiri duplicibꝫ. Indui mollibꝫ. preciosis
oꝛnari intus autē plenus ſpurcicia iacinctus ꝛ purpu
ra coclus ꝛ biſſus in limo putreſcūt aurū et argentū.
lapides et gemme in luto ſoꝛdeſcunt dignitas et pote:
ſtas male iacent in puluere honoꝛ ꝛ gloꝛia male ſe:
dent in cinere. Quid ergo ſuperbe filatteria dilatas et
magnificas fimbꝛias Jn Luc. Diues ille qui induceba
tur purpura ꝛ biſſo ſepultus eſt in inferno Dina filia
patriarche Jacob anteq̄ꝫ egrederetur ut Joſephus ut
emeret oꝛnatū viroꝛū prouincialiū virgo permanſit.
Cum autem exiuit ſichen filius regis amoꝛree vidit
eam violenter oppreſſit. Oloffernes autem qui ſedebat
in capaneo. qđ erat ex purpura ꝛ auro ꝛ ſmaragdo
et lapidibus preciosis Inceſtum iugulatum eſt a Ju:
dith. que cum prius vteretur alio tunc oꝛnatum aſ
ſumpſit. Audi ſuper hec conſilium ſapientis in eccāſt.
Jn veſtitu ne gloꝛieris vnq̄ꝫ. Et petrus apoſtolus nō
in veſte precioſa nec ſit extrinſecus capillatura aut cir
cūdacio auri aut veſtimentoꝛum cultus. Contra ſupfluū ōrtū

Attende qđ contra ſup
fluū oꝛnatū continetur dn̄s per ꝓphetā yſayā. ꝓ
eo eleuate ſūt filie ſion ꝛ ambulauerūt extenſo collo
et nutibꝫ oculoꝝ ibāt decalcauit dn̄s vticē filiaꝝ ſion
et crinē eaꝝ nudabit ī die illa auferet dn̄s oꝛnamentū
calciamētoꝝ ꝛ lunlas et toꝛq̄s et monilia et armillas
et mitras et diſcriminalia et piſcidas et murenulas

et olfactoria inaures annulos ꝛ gemmas in fronte
pendentes ꝛ mutatoria ꝛ pallea et lintheamina ꝛ acꝰ
et specula ꝛ sindones ꝛ nuces ꝛ therustrum · et erit pro
suaui odore fetor et pro zono funiculus et pro crispo
crine caluiciū et ꝓ fascia pectorali ciliciū · Ecce iusta
redditur pena pro culpa ut in eo puniant᷑ in quo pec
cauerūt ꝛ adhuc super hijs audi prophetā ezechielē
O tyre bissus varia de egipto texta tibi in velū. Jacin
ctus ꝛ purpura de insulis · Elisa facta sūt opimentū
tuū dentes eburneos et eburneos cōmutauerūt ꝑcio
tuo gemmā et purpurā ꝛ scrutulatū ꝛ byssū ꝛ sericū
et coccū posuerūt ī mercato suo dicti institutores tui
in capitib; ad sedendū ꝛ repleta es ꝛ glorificata ni-
mis · ß nūc cōtrita es in mari et in ꝓfundis aquaꝝ o
pes tue ad nichilū redacte sūt ꝛ nō eris usq̧ imꝑpetuū

Vestes perdunt virtutes

Cum quidā pbr̄
in habitu cōtemptibili principis aulā adijsset ·
et diu pulsans nō fuit admissus · ß quociens ingredi
tēptasset tociens cōtigisset repelli mutauit habitū ꝛ as
sumpsit ornatū tūc ad primā aditus patuit venienti ·
qui ꝓcedens ad principē palliū qd̄ gestabat cepit mi
rabiliter osculari · sup quo princeps admirans · quid
hec ageret exquisiuit pbr̄ sic respondit · Honorantem
me honora quia quod virtus nō potuit vestis obtinu
it · O natiuitas vanitatū plꝰ honoris differtur vestib;
q̄ᵖ virtutib; plus venustati q̄ᵖ honestati De fucatione

Artificia [illegible]
lis color subinducat ꝛ facies obducat naturalis

tanq̄ hominis artificiū arte ſuperet creatoris nō ſic in
Matheo· Conſiderate inquit lilia agri quomodo cre
ſcunt nō laborant neq; nent Dico aūt vobis q̄m nec
Salomon ī omī gloria ſua coopertus eſt ſicut vnū
ex iſtis· abſit ut adulterinus color cōpabilis ſit natu
rino· quoniā ymo cū facies adulterino fuſcatur colo
re os abomī abili fetore corrumpit Jn pſalmo· vniuer
ſa vanitas omnis homo viuens· Quid enim vanitas
q̄ pectine crines planare ceſariem vngere genas vn:
gere faciem producere ſuperalia · Salomon· Quan
tūcunq; quidem fallax ſit gloria et vana ſit pulcritu:
do Yſayas· Omnis caro fenū et omīs gloria eius qua
ſi flos feni· Jn pſalmo · Quoniā ſicut fenū velociter a
reſcent et ſicut olera herbarū cito cadent ut ornamen:
tum perſone· propterea ne malignus q̄uis vermis vi
deatur ſubcreſcere · Quid vanius q̄ ornare menſam
mantilibus picturatis cultellis ebore manicatis vaſis
aureis vaſellis argenteis cuppis ꝛ nappis necalibus
et gradalibus ſcutellis coclearibus furanulis et ſala:
rijs capſulis ꝛ ſcabellis· Quid prodeſt pingere came
ras ditare ptitas palliare veſtibulū ſuſtinere pauimē
tū cōponere lectū plumis inflatū opertū arias obdu:
ctū cortinis aut etiā canapeo· ſcriptū ē enī ī pſal· Nō
cū morietr accipiet hec oīa ut ſimꝰ deſcēdat gl'a domꝰ
Non eſt q̄ de de dāp^lu huuc dyſſolu eiꝰ
cordis mūdicia valeat gl'ari q̄m ī multis offēdi
mus omnes· Jn epl'a ca· Et ſi dixerimus q̄ peccatum
nō habemꝰ noſipſos ſeducimꝰ ꝛ veritas ī nobis nō eſt
col nigſſu

Quis eſt q̄ vel illud dicere valeat cū Apl'o. In hoc michi cōſcius nō ſū tamen ī hoc iuſtificatus ſū. Quis eſt hic et laudabimus eum. Job. Ecce inter ſanctos nemo eſt mutabilis celi nō ſūt mundi conſpectu eius et in angelis ſuis reperit prauitatē q̄to abominabilis ē et inutilis homo qui bibit aquam iniquitatis In geneſ. Penituit ergo deū q̄ hominem feciſſet in terra. eo q̄ multa eſſet hominis malicia ſuper terram et cuncta cogitatio hominis malū intenta omī tempore et ideo tactus dolore cordis intrinſecus deleuit hominē quem creauit In euangelio. Porro ſubabūdauit iniquitas et refriguit caritas multorū In pſalmo. Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt non eſt qui faciat bonū non eſt vſq; ad vnū. Tota pene vita mortaliū plena ē peccatis et vix valeat inueniri q̄ nō deuiet ad ſiniſtrā q̄ nō reuertatē ad vomitū q̄ nō putreſcat ī ſtercore. qm̄ potius glorietur cū malefecerit exultat ī rebus peſſimis Apl's in ep'lo ad Romanos. Repleti ſūt iniquitate malicia fornicacōne auaricia nequicia pleni inuidia homicidijs cōtentione dolo malignitate ſuſurratione detractores deo odibiles cōtumelioſi ſupbi elati inuētores malorū parētibus nō obediētes inſipiētes incōpoſiti ſine affectione ſine federe et ſine miſericordia Talibus et peioribus mundus iſte repletus habundat hereticis et ſciſmaticibus pfidis et tirannis ſimoniacis et ypocritis ābicioſis et cupidis raptoribus et predonibus violētis et exactoribus vſurarijs et falſarijs impijs et ſacrilegis proditoribus et mendacibus adulatoribus et fallacibus

garrulis ꝛ ꝟlutis guloſis ꝛ ebrioſis mollibꝫ ꝛ immū
dis pigris ꝛ negligentibꝫ adulteris ꝛ inceſtuoſis va-
nis prodigis impetuoſis iracundis impacientibus ꝛ in
conſtantibus veneficis ꝛ auguribus periuris et execra
tis preſumptuoſis et arrogantibus incredulis ꝛ de-
ſperatis. Demū vniuerſis vicijs irretitis In pſalmo.
Porro ſicut deficit fumus deficient. et ſicut fluit cera a
facie ignis ita peccatores peribūt. De dolore q̄s
Mali ſiquidem mali paciunt̄ī morte
quatuor dolores paciunt̄ in morte. Primus do-
lor eſt anguſtia corporea tanta et tam grauis quāta
et qualis nec fuit nec eſt in preſenti vita ante diſſolu
cionē illā. qm̄ quibuſdā et ſine moribꝫ apparet pre ni
mio dolore ſeipſos diſſipātibꝫ fortis enim ꝛ incompa-
rabilis eſt violentia qm̄ nexus illi et phiſicales nodi
inter corp9 ꝛ animā dirūpūnt̄. vnde pͥpheta lamentādo
ait in pſal. Circūdederunt me dolores mortis. Nō eſt
mēbrū nō eſt articulus in corpe qd penitus inuolua-
tur illo inexpugnabili dolore. Secūdus dolor ē qn̄
iā plene diffatigato corpe ꝛ ſuis ex hauſto viribꝫ aīa
multo liberi9 videt tūc ī momēto occurrere oīa opa bo
na ſua ul' mala q̄ fecit q̄ oīa reducunt̄ an̄ oc'los interi
ores dolor iſte tāt9 ꝛ retractio iſta tā grauis ē qm̄ aīa
plurimū ꝯtrbata cogit̄ ꝯtra ſeipſā edisse vn̄ dicit̄ ī pſal.
torrētes iniq̄tatis ꝯturbauerūt me nota torrētes iniq̄tatis
cū mlto impetu veniūt ꝛ vixēt diruere oīa ita ī morte
videbit mal9 oīa ſbito q̄ fecit opa bona ul' mala Tercius
dolor ē qn̄ aīa īcipit tā iuſte iudicare ꝛ ſibi iniq̄tatibꝫ

ſingula om̄ia et debita iehēnne tormenta videt immi=
nere vnde dicitur in pſalmo. Circūdederūt me dolores
inferni. Quartus dolor eſt quādo aīa adhuc ī corpe
poſita videt ſpirit⁹ malignos ad recipiendū ſepatos
vbi tantus dolor eſt et timor. q̄ miſera anima licet ex
tincta q̄diu poteſt refugiat ⁊ tempus ſue captiuitatis
redimat anteq̄ de corpe exeat.

De aduentu x̄ ad mortē q̄libʒ hō

Videat etiā tam bonus q̄
malus anteq̄ egrediatur de corpe criſtū ī cruce
poſitū. Malus ut ad confuſionem erubeſcat ſe nō eſſe
redemptū ſanguine criſti ſua culpa exigente. vnde de
malis dicitur in euangelio. Videbunt in quem pupi=
gerunt quod intelligitur de aduentu criſti ad iudiciū
et de aduentu ad diem mortis bonus non videt exal=
tacōnem habemus ex verbis apoſtoli qui ait. Vſqʒ
in aduentū domini noſtri ihū criſti id eſt ad diē mor=
tis quādo apparet tam bonis q̄ malis criſtus in cruce
poſitus ⁊ ipſe criſtus de iohanne euāgeliſta ait. Sic
eū volo manere donec veniā id eſt in virginitate pſe
uerantē donec veniam ad obitū eius. Quatuor nanqʒ
legunt aduent⁹ criſti. duo viſibiles. Primus in men
te ad iudiciū. ſecūdus in obitum cuiuſlibet fidelis. Et
duo inuiſibiles primus in mente p̄ graciā vnde ī euā
gelio. ad eū veniem⁹ ⁊ manſionē apud eū faciem⁹. ſe=
cundus in obitu cuiuſcūqʒ fidelis vn̄ iohes in apoc.
Veni ihū vn̄ dr̄ obitus qr̄ obuiā venit ei criſtus.

**Incipit tercia pars iſtius libri.**

De putredine cadauerum · I
De ſtricta memoria dampnatorum ij
De inutili penitentia reproborum · iij
De diuerſis penis inferni · iiij
De ineſtimabili anguſtia dampnatorū · v
De igne gehennali · vi
De tenebris inferni · vij
De confuſione penarum · viij
De indeficientia tormentorū · ix
Cur reprobi nō liberabuntur a pena · x
Teſtimoniū de ſupplicijs eternis · xi
De die iudicij yſaias xij
De precedente tribulacione · xiij
De die iudicij Rubrica · xiiij
De potentia ſapientia et iuſticia iudicis · xv
De diuino iudicio · xvi
Qd̄ nichil proderit dampnandis · xvij

## De putredine Cadauerum

In pſalmo · Exibit ſpiritus eius et reuertetur in terram ſuam · In illa die peribunt omnes cogitaciones eorum · O quot et quanti mortales de mūdane prouiſionis incertitudine cogitant · Sed ſubrepente mortis articulo · repente cuncta que cogitauerant euaneſcunt · In Pſalmo · Sicut vmbra que declinat ablati ſunt · Et excuſſi ſunt ſicut locuſte · Exibit ergo ſpiritus eius et reuertetur in terram ſuam · non voluntarius ſed inuitus · vt dicit · Job ·

Quia cũ dolore dimittet q̄ cũ amore poſſedit ac velit nolit. Conſtitutus eſt ei terminꝰ qui preteriri nõ poterit in quo terra reuertetur in terrã. Scriptũ eſt em̃ terra es ⁊ in terrã ibis. In geneſ quidẽ. Naturale quidem eſt ut materia pſoluatur in materiã In pſalmo. Auferet ſpiritũ eorũ ⁊ in puluerẽ ſuũ reuertent: In eccaſſ. Cũ aũt homo morit̃ hereditabit beſtias ſerpẽtes et vermes Job. Omnes em̃ in puluere dormient ⁊ vermes cooperient eos Yſayas. Sicut veſtimentũ ſic comedet eos vermis et ſicut lanã ſic deuorabit eos tinea Job quaſi putredo ꝯſumendus ſũ et quaſi veſtimentum qd̓ comedit a tinea. putredini dixi pater meus es mater mea et ſoror mea vermibꝫ. Homo putredo filiꝰ hoĩs vermis. q̃ꝑ turpis pater q̃ꝑ turpis mater q̃ꝑ abhominabilis ſoror. Conceptus eſt homo de ſanguine ꝑ ardorem libidinis putredo cuius tandẽ cadauer q̃ſi funebres vermes aſſiſtunt. Viuus generat pediculos et lumbricos. mortuus generabit vermes et muſcas. viuus ꝓduxit ſtercus ⁊ vomitũ mortuꝰ ꝓducit putredinẽ et fetorẽ. viuꝰ eñ hoĩez vnicũ impinguauit. mortuꝰ v̓mes plurimos impinguabit q̃d ergo fetidiꝰ huãno cadaueri. Quid horribilius hoĩm mortuo cuiꝰ gratiſſimus erat amplexus in vita modeſtus et erit aſpectꝰ in morte. Quid ergo ꝓſunt diuicie quid epule quid delicie. nõ liberabũt a morte non defendent a verme. nõ eripient a fetore. Quid michi ſedebat glorioſus in throno modo iacet deſpectus in tumulo. qui modo fulgebat ornatus ĩ aula modo ſedet nudus in tumba

Qui modo veſcebatur delicijs in cenaculo modo con
ſumetur a vermib9 in ſepulcro. De ſtricta iusticia dei capitulo 24

Peccāſt. Vindicta carnis impij vermis
et ignis vterqȝ dūplex Interior ⁊ exterior. Interior q̄
rodit ⁊ vrit cor. Exterior qui rodit ⁊ vrit corpus ver
mis eorū non morietur et ignis nō extinguetur. Ju
dith. Dabit dn̄s ignē ⁊ vermes in carne eorū ut vrā
tur ⁊ ſentiant uſqȝ in ſempiternū. Ylayas. Vermis cō:
ſcientie tripliciter lacerabit. Affligit memoria. turba:
bit potentia. torquebit anguſtia In libro ſap. Veniēt
autem in cogitacione eorū peccatorum timidi. ⁊ tranſ
ducent illos ex aduerſo iniquitatis eorum dicentes.
Quid profuit nobis ſuperbia ⁊ iactantia diuiciarū
quid cōtulit nobis. Tranſierūt illa oīa tanq̄ vm:
bra et ſicut nauis qui tranſit fluctuantē aquā. cuius
cū preterit nō eſt inuenire veſtigium. ſic ⁊ nos nati cō
tinuo deſinimus eſſe. virtutis quidem nullā valemus
oſtendere. ſed in malignitate nature conſumpti ſum9.
Cū ingenti turbacione que cū nimia delectacōne geſſe
runt ut ſtimulus memorie pugnat ad penā quos acu
leus neque ſtimulat ad culpā. De inutili penitencia cap 4

Dicent inter ſe penitētiā agētes errauim9 a via ve
ritatis ⁊ lumē nō illuxit nob in Luc. tūc incipi
ent dicere mōtib9 cadite ſup nos et collib9 operite nos
penitebūt ß nō ad penā et nō conuertēt ad veniā. iuſtū ē
ei ut qr noluerūt cū potuerūt cū velint nō poſſint i Luc
dedit eis de9 locū penitētie et ipſi abuſi ſūt eo preterea
diues ille q̄ cruciatꝰ ī flāma dicebāt ad abrahā ī Luc.

Rogo te pater ut mittas lazarū ī domū patris mei ha
beo eñ quinq; fratres ut teſtetur illis ne ipſi veniant ī
hūc locū tormentorū. Cui cum abraham reſpondiſſet
hūc moyſen et pphetas audiant illos. Subiūxit. Nō
pater abraham ſꝫ ſi quis ex mortuis iret ad eos penitē
tiam agerent. Agebat et ipſe penitentiā in inferno. ſed
quia cognoſcebat eā inutilem rogabat ut annūciaret
hec fratribꝫ ſuis q̄tenus agerent ī hoc ſeculo penitentiā
fructuoſam. q2 tūc poſt hoīm penitentia cū poteſt ipſe
peccare. de diuiſis penis inferni

Pene infernales ſcdm diuerſa peccata ſūt. Prima
pena eſt ignis. Secūda frigus. De hijs dixit
dns. Erit fletus et ſtridor dencū pp̄ter frigus. Tercia e
rit fetor. De hijs tribꝫ dicit ī pſalmo. Ignis ſulphur
et ſpiritus procellarū. Quarta vermes mordicantes.
Unde yſayas. Vermis eorū nō morietur et ignis non
extinguetur. Quinta ſalegra percutiētiū vnde dicit yſa
yas. Parata ſūt iudicia blaſphematoribꝫ et percutientes
mallei ſtultorum corpibꝫ. Sexta tenebre palpabiles
exteriores et interiores vnde Job. Terra miſerie et te
nebrarū vbi vmbra mortis et alibi. Vadā ad terram
tenebroſam et opertā mortis caligine Jn pſalmo. Et
in eternū nō videbit lumē et alibi. Jmpij in tenebris
cōticeſcent. Septima cōfuſio peccatorū. Tūc eñ ut le
gitur erunt libri aperti conſciencie hoīs ut erunt omi
bus manifeſta. Octaua horribilis viſio demonū qui
videbūtur in excuſacōne ſintillarū de igne aſcendentiū.
Nona ignee kathene qbꝫ impijs mēbris cōſtringunt.

Prima pro cõcupiſcentia eſt. ſecũda malicioſoꝝ. tercia luxurioſorũ. quarta mũdoꝝ ⁊ odiũ habentiũ. quinta eorũ q̄ in hoc ſeculo flagello nõ meruerũt caſtigari. ſʒ q᷑ exacerbauerũt dñm ĩ multitudine iniquitatũ ſuaꝝ nõ queret q᷑ exacerbauerunt dñm peccatores. ſexta eorũ q̄ in tenebris ambulãtes ad lumẽ veꝝ venire otem pſerunt. ſeptima cõfitentiũ peccata ſua ⁊ penitẽtiã cõtẽpnẽtiũ. octaua illoꝝ q̄ ĩ hoc ſeculo libenter vidẽt mala et faciũt. nona illorũ q̄ p ſingula vicia ſũt defluxi. q̄ ambulãt in deſiderijs ſuis ⁊ cõcupiſcentijs ſuis. De [illegible] angustia cap. 24

In libro ſapiẽtie. videntes tur babunẽ terrore horribili gementes pre anguſtia ſpiritus ⁊ dicentes hij ſũt quos aliquãdo habuimus inderiſũ et ſimilitudinẽ improperij. Nos aũt inſenſati vitã illorũ eſtimabimus inſaniam et finẽ illorũ ſine honore. Ecce quomodo cõputati ſunt inter filios dei et inter ſanctos ſors illorũ eſt. ſuppliciũ erit malorũ intueri gloriã beatorũ licet forte poſt finẽ iudicij. Beati quidẽ viſuri ſũt reprobos ĩ tormẽtis ſcd̃m illud in pſal. Letabit᷑ iuſt⁹ cũ viderit vindictã impiorũ. reprobi vero nõ ſũt viſuri beatos ĩ gl̃a ſecũdũ iſtud Yſaye. Tollat᷑ impi⁹ ne videat gl̃am dei In libro ſap. Talia dicent ĩ inferno peccõres qm̃ ſpes impij tanq̃ lanugo q̄ tollit᷑ a vẽto et tanq̃ ſpuma gracil᷑ q̄ a pcella diſpergit᷑ et tanq̃ fum⁹ a vẽto diffuſus et tanq̃ memoria hoſpitis vni⁹ diei. De Igne gehennali

Ignis gehenne nec lignis nutrit᷑ nec flatu ſuccendit᷑ ſʒ a deo creatus eſt inextinguibil᷑ ab origine mũdi Job

Scriptū eſt enī· Deuorabit eū ignis qui nō ſuccendi
tur credit eſſe ſub terris ſcd̄m illud ꝓphete Yſaye· In-
fernus ſub eſt ⁊ turbatus in occurſū aduent⁹ tui ſed ⁊
omnino locus reprobis eſt penalis quia ſemꝑ ſecū
deferuut cruciatū et vbiqꝫ contra ſe tormentū incurrūt
Ezechiel· Producā inquit ignē de medio tui q̄ come-
det te· Ignis aūt gehenne ſemꝑ ardebit ⁊ nunq̄ luce
bit ſemꝑ vret ⁊ nunq̄ conſumetur ſemꝑ inficiet ⁊ nū
q̄ deficiet· Eſt aūt apud inferos ſūma tenebrarꝫ obſcu
ritas immenſa acerbitas infinita miſeriarū eternitas·
In matheo · Ligatis inquit manib⁹ et pedib⁹ eius et
mittite in tenebras exteriores vbi erit fletus ⁊ ſtridor
dentiū ſingula menbra pro ſuis peccatis ꝓpria ſuſtine
bunt tormenta ut in eo puniantur in quo peccauerūt
Scriptū eſt enī ꝑ que peccat homo ꝑ hec et torquet̄·
Unde qui lingua peccauerat cruciat̄ in lingua · ꝓpter
qd̄ diues clamabat pater abrahā miſerere mei ⁊ mitte
lazarꝫ ut intingat extremū digiti in aquam ut refri-
gerer linguā meā· Per digitū intelligitur opacō digi
tis enī opatur· quaſi dicat ſi minimū opus lazari ha
berem minorē penā ſentirē · de tenebris inferni

Reprobi nō ſolū exterioribꝫ ſꝫ interioribus tene-
bris inuoluentur qꝛ ſpirituali pariter ⁊ corpali
luce carebūt· Scriptū eſt enī Yſa· Tollat̄ impi⁹ ne
videat gloriā dei qꝛ ſolus tūc erit in lucē ſempiternam
Tantā in penis tollerabūt anguſtiā reprobi ut vix a
liud cogitare poſſūt preter penas ſcd̄m illud dirigūt
impium cogitacōnes vbi ſentiet vim doloris · Sane

diſcipulus quidē fertur apparuiſſe magiſtro poſt mor=
tem quē cū magiſter intelligiſſet fore dampnatū·que
ſiuit ab eo·ſi aliquid queſtionis ab inferis verterētur
qui dicitur reſpondiſſe apud inferos queri nō ſolum
quid ſit pena·ſed ut ait ſalo·nec opes nec racio nec ſci
entia nec ſapientia eſt apud inferos quo tu properas·
Erit enī reprobis tanta mentis obliuio tanta cecitas
mentis tanta cecitas animi tanta confuſio racōnis vt
raro vel nunquam ad cogitandum quicquam de deo poſſit aſ
ſurgere needum ad confitendum valeant aſpirare·nā
a mortuis tanquam ab eo qui perit valet confeſſio·Scri
ptum eſt enim in pſalmo·Non mortui laudabunt te
domine neque omnes qui deſcendunt in infernum Pſa·
Non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit
te·

## De confuſione penarum

Dimitte me dn̄e dicit Job· ut plangā paululū
dolorē meū antequam vadā et nō reuertar ad terrā
tenebroſam et aperta mortis caligine·Terrā miſerie et
tenebrarum vbi vmbra mortis et nullus ordo ſed ſempiter
nus horror inhabitat Ordo quidē erit ī quātitate pena
rū In euāgelio qm̄ in q̄ meſura mēſi fueritis remecietur
vobis ut q̄ grauius peccauerit grauius puniatur·Poten=
tes enī potenter pacient tormenta·Sed ordo erit in q̄
litate rerū·Job quia de aquis nimium tranſibunt ad
calorē nimiū ut ſubita contrariorum mutacio grauiorē
inferat cruciatū experimento cognoui qd̄ aduſtis ſi fri
gidum ſtatim adhibeas ardenciorē ſentiant cruciatum

## De indeficiencia tormentorū

Sicut oues in inferno poſiti ſunt mors depaſcet
eos. Dictū eſt a ſimilitudine iumentoꝝ que nō
radicitus euellūt herbas ſed ſolūmō ſūmitatē ⁊ iterum
herbe renaſcantur ad paſtū. ſic ⁊ impij q̄ſi morte de-
paſti reuiuiſcent quaſi ad mortē ut eternaliter moriā-
tur Ouidius. ſic inconſumptiꝭ ſemꝑ renaſcentes non
peccant ut poſſint ſepe perire. Tūc erit mors immor-
talis tūc viuent morti mortui. alias mortui qui vite
ſunt mortui. querent mortem ⁊ nō inuenient qui vi-
tam habuerunt ⁊ ꝑdiderunt. Audi iohannē in apoc.
dicentē In dieb; illis q̄rent hoīes mortē ⁊ nō inueni-
ent eā deſiderabūt mori ⁊ mors fugiet ab illis o mors
q̄ꝫ dulcis eſſes quib; tam amara fuiſti te ſolā deſiderātē
optabūt qui te ſolā vehementer oderunt. Cur reprob.

Nullus ergo nō liberabunt a pena
ſibi blandiatur ⁊ dicat in pſalmo. Quia deus
nō in eternū iraſcetur neq; in eternū cōminabitur. ſed
miſeracōnes eius ſuꝑ omnia opa eius quia cū iratus ē
nō obliuiſcitur miſereri nec cuiq̄ꝫ eorū que fecat odi-
uit. Aſſumens in argumentū erroris qd ait dn̄s ꝑ ꝓ-
phetā Yſayam. Congregabuntur in congregacōne
vnius faſcis in lacū ⁊ clauduntur in carcerem ⁊ poſt
multos dies viſitabūtur. Homo nanq; peccauit ad
tempus nō ergo punitur in eternū. O ſpes inanis. O
falſa preſūptio Job. Nō credit fruſtra errore decept⁹
pro aliquo precio redimendus ſit. qm̄ in inferno nul-
la eſt redemptio. Congregabūtur ergo peccatores in
lacū ⁊ clauduntur in carcerē ſcilicet in inferno i quo

ſi nō corpib9 uſqꝫ ī diē iudicij torq̄bunt ⁊ poſt multos
dies videlicꝫ poſtq̄ꝫ reſurgēt cū corpib9 ſuis ī nouiſſi
mo die viſitabunt nō ad ſalutē ſ; ad vindictā q2 poſt
diē iudicij grauius punient. Sic ⁊ alibi dicit in pſal.
Viſitabo in virga iniquitatis eorū ⁊ in verberib9 pec-
cata eorū. Predeſtinatis ergo iraſcitur deus tpaliter.
quia flagellat omnē filiū quē recipit. de quib9 illud
accipitur. Nō in finē iraſcetur ⁊c. Reprobis aūt deus
iraſcetur eternaliter quia iuſtū eſt ut qui in ſuo errore
preuaricatur eterno deus vindicatur in anima ſua. nā
licet peccādi facultas illū dimittet ipſe tamē nō dimit
tit volūtatē peccādi. Scriptū eſt enī in pſalmo. Su-
pbia eorū qui te oderunt aſcendet ſemp nō humiliabū
tur reprobi iā deſperati de venia ſed malignitas odij q̄
tantū exercet qꝫ velit illū omnino nō eſſe p quē ſciunt
ſe tam infeliciter eſſe. Maledicent altiſſimo ⁊ blaſphe
mabūt excelſū cōquerentes eū eſſe malignū q̄ creauit
eos ad penā ⁊ nō inclinet ad veniā audi iohānē in a
poc. dicentē Grādo magna deſcendit de celo in oēs et
blaſphemabūt oēs deū ꝑpt plagā grādinis qm̄ magna
eſt facta vehementer volūtas ergo dāpnati licꝫ admiſit
ptātis effectū ſp tn̄ habebit malignitatis effectū ⁊ ipſa
erit in inferno ſuppliciū que fuerat in mūdo peccatum.
licet tamē et ibi peccatum ſit ſed meritum pſone ipſius
ergo que habebit in ſe reatum ex culpa. ſemper ſentiet
contra ſe cruciatum ex pena quia quod ipſe per peniten
tiam non deleuit. dominus per indulgentiam non re-
mittet. ad magnam ergo pertinet iuſticiam iudicantis

ut nunq̄ careant gehenne supplicio qui nunq̄ volu
erit carere peccato voluiſſent vtiq; ſi potuiſſent ſine fi
ne viuere ut potuiſſent ſine fine peccare oſtendūt eñ
q̄ i peccato ſemꝑ viuere cupiūt qui nunq̄ deſinūt pec
cata dū viuūt Teſtimoniu de ſupplicijs eternis

Quis vnq̄ poterit habitare de vobis cū ardori
bus ſempiternis. Iſte fumus ē in ardore ignis
ardētis tota die ⁊ nocte nō extinguetur ꝫ aſcēdet fum9
eius i ſempiternū ⁊ ignominiā que nunq̄ obliuione
delebitur Daniel. Qui dormierit ī terre puluere euigi
labūt alij in vitā eternā alij in obprobriū ut videāt
ſemꝑ Salomō. Mortuo hoīe impio nulla ſpes erit
de eo huic exemplo veniet ꝑdicō ſua ⁊ ſubito cōteretur
et nō habebit vltra medianā Ideo apl's. Si quis ado
rauerit beſtiam ⁊ ymaginem ei9 hic bibet de vino ire
dei ⁊ cruciabitur igne ⁊ ſulphure ⁊ fumus tormentoꝝ
aſcendet in ſecula ſeculorū. nec habebit requiē die ac
nocte. Confirmat hoc veritas que damnandos in iudi
cio eternaliter reprobat dicens in Matheo. Ite male
dicti in ignē eternū qui paratus eſt dyabolo ⁊ angelis
eius ſi ꝫm iudiciū diuinū in deuteronomij. In ore duo
rum vel triū ſtet omne verbū q̄ntomagis in ore tanto
rum virorū depoſtpoſita vita ɔſtabit. De die iudicij

Ecce ergo dies dn̄i veniet crudelis ⁊ in ysayas
dignacōis plenus ire ⁊ furoris ad ponendam
terrā in ſolitudinē ⁊ peccatores eius cōterendos de ea.
Qm̄ ſtelle celi ſplendor eaꝝ non extendent lumē ſuū.
Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo ⁊ luna nō ſplendebit

in lumine ſuo et viſitabo ſup omnē orbē malā et cōtra
impios iniquitatē eorū ⁊ quieſcere faciā ſupbiā infi
deliū ⁊ arrogantiā fortiū humiliabo. ꝓpter hec omnes
manus diſſoluent̄ ⁊ omne cor hominis tabeſcet ⁊ conte
retur torſiones et dolores tenebūt q̄ſi parturiens dolebūt
vnuſqſq; ad ꝓximū ſuū ſtupebit facies cōbuſte vult⁹
eorū Saphonias Dies illa dies ire ut dies tribulacō
nis et anguſtie dies calamitatis et miſerie dies tene
brarum et caliginis dies nebule et turbinis dies tube
et clangoris. quia conſumacōnem dominus faciet cū
feſtinacōne cunctis habitantibus terram. In Luc.
et ſupueniet repentina dies illa tanq̄ laqus ī oēs q̄ ſe
dent ſup faciē oīs terre in Matheo qm̄ ſicut fulgur e-
xit ab oriente et apparet uſq; in occidentē ita erit aduē
tus filij hoīs Apl's. Dies eīn ſicut fur ī nocte ita veni-
et cū dixerint pax ⁊ ſecuritas tūc repentin⁹ ſupueiet eis
interit⁹ ſicut dolor in vtero habentis et nō effugiēt. De
precedente tribulacōe
In matheo. Precedet aūt tribu
lacō magna q̄lis nūq̄ fuit ab inicio mūdi uſq; modo
neq; fiet et niſi breuiati dies illi non fieret ſalua oīs
caro In matheo. Surget gens contra gentem et re-
gnum contra regnū et terremotus magni erūt p loca
terrores de celo et tempeſtates p loca et peſtilentie et fa
me et ſigna magna erūt in ſole et luna et ſtellis et in
terris preſſura gencium pre cōfuſione ſonitus maris et
fluctuū. areſcentib; aūt homīb; pre timore et expecta
cione q̄ ſupueniēt vniuerſo orbi ſurgēt pſeudo criſti et
pſeudo falſi ꝓphete et dabunt ſigna magna et ꝓdigia

ita q̄ ſi fieri poteſt in errorē educantᷣ electi Ap̄ls ad co
rintħ. Tūc reuelabitᷣ homo peccator ⁊ filius ꝑdicōnis
qui aduerſatur ⁊ extollitᷣ ſup oīe qđ dicitᷣ aut colitᷣ
deus ita ut in templo dei ſedeat oſtendens ſe tanq̄ ſit de
us qm̄ dn̄s interficiet ſpiritu oris eius Michahel. mit
tetur aūt helyas ꝓpheta priuſq̄ veniet dies dn̄i magnꝰ
et horribilis et mittet corda patrꝝ ad filios ⁊ corda fi
liorū ad patres cū quo veniet Enoch. Et ꝓphetabit.
In apoc̄. Diebus mille ducentis lx. Amicti saccis cū
finierint teſtimoniū ſuū beſtia quedā aſcendat de abyſ
ſo et faciet aduerſus illos bellū ⁊ vincet illos et occi:
det ⁊ corpa eorū iacebūt in plateis ciuitatis magne.
vbi dn̄s eorū crucifixus eſt ⁊ poſt tres dies ⁊ dimidiū
ſpiritꝰ vite intrabit in eos. De die iudicij Rubrica

Peccāſt. Statim aūt poſt tribulacōem illorū dieꝝ
ſol obſcurabitᷣ et luna nō dabit lumē ſuū et ſtelle ca
dent de celo et virtutes celoꝝ mouebuntᷣ et tūc appare
bit ſignū filij hoīs in celo ⁊ plangent ſe ſup ſe oīs
tribus terre In apoc̄. Reges et principes et tribuni et
diuites et fortes et oīs ſeruus et liber abſcondent ſe
in ſpeluncis et in petris montiū et dicent montibꝫ et pe
tris. Cadite ſup nos et abſcondite nos a facie ſedētis
ſup thronū et ab ira agni. Quādo veniet dies dn̄i ma
gnus ire impioꝝ et quis poterit ſtare In matheo. Et
mittet angelos ſuos cū tuba ⁊ voce magna et cōgre:
gabūt electos eius a quatuor ventis celi a ſummis ce
loꝝ uſqꝫ ad terminos eoꝝ Ap̄ls ad thimotħ. Tunc
ipſe dominꝰ in iuſſu et in voce archāgeli et in tuba dei

descēdet de celo In iohāne ꝛ omnes qui in monumē-
to ſunt audient vocē filij dei et procedent boni in reſur
rectionem vite. Mali aūt in reſurrectionē iudicij In
apoc. Mors et infirmus dabūt mortuos ſuos qui in
ipſis erunt ꝛ videbit omnis oculus ꝛ qui in eū pupu
gerunt filiū hominis venientē in nubibꝫ celi cū virtute
magna et maieſtate. Yſayas. Veniet aūt ad iudicium
nō ſolū cū angelis ſed etiā ſenatoribus populi ſui. ſa-
lomon. Nobilis in portis quando ſedet cū ſenatoribꝫ
terre In matheo. Sedebunt eīm et ipſi ſup ſedes duo
decim iudicātes duodecim tribꝫ iſrahel Daniel. Aſpicie
bam inquit donec throni poſiti ſunt et antiquus dierꝫ
ſedebit veſtimētum eius quaſi nix candidum et capil li
capitis eius q̄ſi lana alba. Thronꝰ eius flāme ignis
rote illiꝰ ignis accenſus fluuius igneus rapidus egre
diebat a facie eiꝰ milia miliū miniſtrabāt ei decies cēte
na milia aſſiſtebāt illi Dauid ī pſal. Deꝰ noſter ma-
nifeſte veniet ꝛ nō ſilebit ignis ī ɔſpectu eiꝰ ardebit et
in circuitu eiꝰ tēpeſtas valida aduocauit celū ſurſū et
terra diſcernere ꝑplm ſuū in Matheo nā ɔgregabunt
an̄ eū om̄s gētes ꝛ ſepabit eos abinuicē ſicut paſtor ſe
gregat agnos ab edis et ſtatuet quidē oues a dextris
edos aūt a ſiniſtris. de potencia ſapiencia et iuſticia iudicis
Oh. O quantus tunc
erit timor et tremor. quantus erit fletus et gemitus
Yſayas. Nam ſi columpne celi cōtremeſcunt et paue-
ſcunt aduētū eius angeli pacis amare flebūt peccōres
aūt q̄d facient. In epl'a ca. Si iuſtus vix ſaluabitur.

impius ⁊ peccatoꝛ vbi parebūt· ꝓpterea clamabat
ꝓpheta dauid· Nō intres in iudiciū cū ſeruo tuo quia
nō iuſtificabit in conſpectu tuo om̄is viuens· Si em̄
iniquitates obſeruaueris dn̄e dn̄e quis ſuſtinebit· qs
em̄ nō timebit iudicem potentiſſimū ſapientiſſimū ⁊ iu
ſtiſſimū· Sapientiſſimū quē nemo poteſt latere· potē
tiſſimū quē nemo poteſt effugere· iuſtiſſimū quē nemo
poteſt corrūpere Job· Si fortitudo queritur robuſtiſ
ſimus eſt ⁊ ſapiens corde ⁊ fortis roboꝛe· Si equitas
iudicis nemo audet pro me teſtimoniū reddere· Job· ſi
iuſtificare me voluero os meū ↄdemnabit me ſi inno
centē oſtendere prauū me cōpabit· Etiā ſi ſimplex fue
ro Dauid· Ipſe dixit ⁊ facta ſūt ipſe mādauit ⁊ cre
ata ſunt· Qui vocat ſtellas ⁊ dicūt aſſumus ⁊ qui fa
cit angelos ſuos ſpiritus ⁊ miniſtros ſuos flammam
ignis cuiꝰ volūtati nil omnino reſiſtitur· cui nullū ver
bū eſt impoſſibile· cui flectit̄ omne genu celeſtiū terre
ſtriū ⁊ infernoꝛū· hūc ergo nemo poteſt effugere dicē
te ꝓpheta dauid· Si aſcendero ī celū tu illic es· Ipſe
ſcrutat̄ renes et corda cuiꝰ oculis om̄ia nuda ſunt et
aperta qui pluuie guttas et arenas maris dinume:
rat dn̄s ſcientiarū dn̄s preſcius om̄iū et cōſcius ſingu
loꝛū· Occultus occultoꝝ om̄iū indagatoꝛ Hūc ergo
nemo poteſt latere ſicut dicit Ap̄ls ad hebreos· Non
illa creatura inuiſibilis in conſpectu eius· Ipſe iudex
iuſtus fortis et paciens et multe miſericoꝛdie et lo· q̄
nec precio nec prece nec amoꝛe nec odio declinat a ſe
mita rectitudinis ſʒ via regia ſemꝑ incedens· Nullum

malū preterit impunitū ⁊ nullū bonū irremuneratū re
linquit hūc ergo nemo poteſt corrumpere iuxta quod
dicit pſalmiſta · Tu reddis ſingulis ſecundum opera
eorum · **De diuino iudicio**

Quis aūt nō timeat illud examen · in quo idem
et accuſator ⁊ aduocatus ⁊ iudex erit · accuſabit
eñ cū dicat ī euāgelio · Eſuriui ⁊c̄ · aduocabit cū ſub
dit · q̄ndiu nō feciſtis ⁊c̄ · iudicabit cū infert · diſcedite
a me ⁊c̄ · nō erunt teſtes neceſſarij in illo iudicio quia
tunc manifeſta erūt abſcondita tenebrarū · nichil eñ
occultū erit qđ nō reueletur Daniel · Tūc libri conſci
entiarū erūt aperti ⁊ iudicabunt mortui ex hijs q̄ ſūt
ſcripta ī libris ſcđm opa eorū · q̄nt9 erit pudor ī peccōri
bus q̄nta ↄfuſio cū eorū nephādiſſima ſcelera cūctis e
runt manifeſta liquido Dauid · Beati quorū remiſſe
ſunt iniquitates ⁊ quorū tecta ſūt peccata ab illa ſen
tentia nunq̄ poterit ꝓuocari In iohāne · q2 pater om
ne iudiciū dedit filio In apoc̄ · qui claudit ⁊ nemo ape
rit ⁊ nemo claudit os eñ dñi locutū eſt ·

Ezechiel · **Q n' pdeit dapnandis**

Tunc non proderunt opes nec defendunt hono
res non ſuffragabnnt amici · Scriptum eſt eñ in eze
chiele · Argentum eorum et aurnm eorum non vale
bit liberare eos in die furoris domini · In apocalips.
Flebūt et plangent reges terre cū vident fumū incēdij
ꝓpter timorē tormētorū Yſa · Quid ergo facietis in die
viſitacōnis et calamitatis de longe venietis · ad cuius
fugietis auxilium · vnuſquiſqȝ onus ſuum portabit ·

Anima que peccauerit ipſa morietur In matheo. O di
ſtinctū iudiciū in quo nō ſolum de factis ſed de omni
verbo ocioſo quodcūq3 locuti fuerint homines redditu
ri ſunt racionem in quo uſq3 ad nouiſſimū quadrantē
exigetur debitū cū vſuris. Quis ergo fugere poterit a
ventura ira. Mittet ergo filius hominis angelos ſuos
et colligent de regno eius oīa ſcandala. et eos qui
faciūt iniquitatem ⁊ alligabunt faſciculos ad cōburē
dum. ⁊ mittent eos in caminū ignis ardentis ibi erit
fletus ⁊ ſtridor dentiū gemitus vlulatus luctus cruci
tus clamor timor ⁊ tremor dolor ⁊ labor ardor ⁊ fe-
tor obſcuritas ⁊ anxietas acerbitas ⁊ aſperitas cala-
mitas et egeſtas anguſtia ⁊ triſticia obliuio ⁊ confu
ſio torſiones ⁊ punctiones amaritudīnes et terrores
fames ⁊ ſitis frigus ⁊ cauma ſulphur et ignis ardens
in ſecula ſeculorum amen.

Expliat liber de miſeria condicōnis humane.

Incipit breuis tractatus de creacione mundi de forma
cione angelorũ de ſituacione ꝛ ordinacione mundi ꝛ
pluribus alijs et primo de trinitate.

De trinitate. J
De creacione mundi. ij
De angelis. iij
De ſituacione ꝛ ordinacione mũdi. iiij
De ordine ſituacõnis ꝛ cõpoſicõnis iſtorũ corpm v
De hominibꝰ bene morientibꝰ. vi
De generacõne ꝛ pductione iſtoꝝ inferioꝝ. vij
De etatibus mundi. viij
De etatibus hominũ. ix
De vicijs capitalibus. x
De donis ſpiritus ſancti. xi
De beatitudinibus. xij
De peticionibꝰ oracõnis dominice. xiij
De operibus miſericordie. xiiij
De preceptis diuinis. xv
De cõſilijs ad q̃ tenentur viri perfecti. xvi
De articulis fidei. xvij
De ſacramentis eccleſie. xviij
De elemoſinis. xix
De paſſione ꝛ morte criſti. xx

## De Trinitate dei

De trinitate dei hoc tenẽdũ eſt ꝙ in vna ſubſtãcia
ſũt tres pſone ſcilicet pater filius ꝛ ſpũs ſanctꝰ.
Pater generat a nullo. filius generat a patre ſolo. ſpi
tus ſanctus pcedit ab vtroqꝫ ſcilicet a patre et filio.

Nec tamen pater ante filiū fuit. nec filius ante ſpiritū
ſanctū. ſʒ ſemꝑ fuit pater ſemꝑ filius ſemꝑ ſpiritus ſan
ctus. Et quō iſtud poſſit fieri videam⁹ Primū exem
plū Videamus enī ꝙ in igne eſt carbo ignitus ſplen
dor et calor et tamē eſt vna ſubſtantia et vnus ignis
Carbo ignitus eſt tanq̄ pater a nullo generatus. ſplē
dor ē tanquam filius et generatur a carbone ignito. et
calor tanq̄ ſpirit⁹ ſanctus procedens ab vtroqʒ. nec
tamē carbo ignit⁹ eſt ante ſplendorē ſed ſtatim cū fuit
carbo ignit⁹ fuit ſplēdor et calor et quaſi ꝑ ſimile poſ
ſumus cōſiderare in trinitate ¶ Scd̄m exemplum ad
huc poſſumus ſumere exemplū in ſole. Videm⁹ enī ꝙ
in ſole eſt ſubſtantia ſolis ſplēdor et calor et tamē nō
eſt niſi vnus ſol et vna ſubſtantia. Nam ſubſtantia
ſolis eſt tanq̄ pater a ſeipſo. ſplendor tanq̄ filius ge
nerat⁹ a ſubſtātia ſolis tanq̄ a patre. calor tanq̄ ſpi
rit⁹ ſanctus ꝓcedens a ſola ſubſtātia ſolis et ſplendo
re. nec tamen ſubſtantia ſolis fuit ante ſplendorē nec
ſplendor ante calorē ſʒ q̄diu fuit ſubſtantia ſolis fuit
et ſplendor et calor ¶ Terciū exemplū Item optimum
exemplū habemus in anima noſtra. Nā videmus ꝙ ī
anima ſūt tria ſcilicet memoria intelligentia et volū
tas. Memoria q̄ memorat preteritorū. Intelligentia
quia intelligit bonū a malo. Volūtas quia hoc vult
hoc nō vult et tamē eſt vna ſubſtantia et vna anima
Nam memoria eſt tanq̄ pater a nullo. Intelligentia
tanq̄ filius a memoria generatus. Voluntas tanq̄
ſpirit⁹ ſanctus ꝓcedens a memoria et intelligētia. Nec

tamen memoria fuit anteq̃ intelligentia nec intelli-
gentia fuit anteq̃ volũtas ⁊ ſic patet q̃uo iſta tria ſci
licʒ meõria intelligẽtia ⁊ volũtas ſũt ĩ vna aĩa ⁊ in
vna ſubſtãtia ⁊ vnũ generat ab alio ut dictũ ẽ. ſic ẽ
videre ĩ trinitate qꝛ in vna ẽentia ſũt tres pſone ſcilicʒ
pater ⁊ filiꝰ ⁊ ſpũs ſanctꝰ et nõ eſt niſi vna ſubſtãtia ⁊
vna diuinitas et vnꝰ generat ab alio qꝛ filiꝰ generat a
p̄re et ſpũs ſãctꝰ ab vtroqʒ nec ꝓpt' hoc vnũ ẽ añ aliud
qꝛ pater nõ ẽ añ filiũ nec filiꝰ ante ſpiritũ ſanctũ. ſꝫ ſp
fuit pater filius et ſpũs ſanctꝰ et vna et eadẽ ſb̃a potẽtia
ſapiẽtia et bõitas et nõ credas ipſũ filiũ ſtultũ ĩſapiẽtẽ
et furioſũ ſicut ↄſueuerũt ẽe filij et ſpiritui ſãcto appro
priat bonitas ut nõ credas ipſũ ẽe malignũ et furioſũ
ſicut multi hoĩes ſũt ſicut dicit yſay. ꝓpheta q̄ſcite ergo
ab hoĩe cuiꝰ ſpũs ẽ in auribꝰ eiꝰ

## De creatõe mũdi

In principio mũdi ſic tenendũ eſt q̄ deus in principio
añ oẽm diẽ creauit celũ empireũ in q̃ ſũt ſancti angeli
et materia q̃tuor elemẽtoꝝ de q̃ oĩa aĩalia facta ſũt po
ſtea creauit ipſe iſta q̃tuor ſimł. hoc repreſentat eccł'ia
in illo ẏno quẽ cãtamꝰ die dominica ĩ veſperis ſcilicʒ
Lucis creator ⁊c̃. Secũda die lune fecit celũ hoc ẽ firma
mentũ qd̃ nos videmꝰ et fecit ipſũ ſine ſtellł et luĩaribꝰ
et diuiſit q̃ erãt ſub firmamẽto ab aquis q̃ erãt ſupra
firmamẽtũ et hoc rep̄ntat eccł'ia ĩ ẏno quẽ cãtamꝰ die
lune ĩ veſperis ſcilicʒ Immẽſe celi ⁊c̃. Tercia die ſcili
cet die martis cũ aqua et terra eſſẽt ſimł mixte diuiſit
aquas a terra et congregauit aquas in vnũ locũ ſci
licet mare et terrã fecit ſolidã et fecit terrã fructificari.

et hoc repreſentat ẽcclesia ĩ illo ymno quẽ cantamus die martis ĩ veſperis ſcilicet. Telluris ingens cõditor Quarta die ſcilicet die mercurij fecit ſolẽ ⁊ lunam ⁊ ſtellas ⁊ poſuit eas in celo ut illuminarent mundũ. et hoc repreſentat eccleſia in illo ymo quẽ cantamuſ die mercurij in veſperis ſcilicet. Celi deus ſanctiſſime. et poſtea ſequitᷣ in illo verſu. Quarto die qui flãmeã Quĩta die ſcilicʒ die iouis fecit volatilia et dedit eis locũ in aere. Item ipſo die fecit deus piſces . ⁊ fecit eis locũ in aquis. et hoc repreſentat eccleſia ĩ illo ymno quẽ cantamus die iouis ĩ veſperis ſcilicet magne deꝰ potentie Sexta die ſcilicʒ die veneris creauit hoĩes de limo terre ⁊ oĩs beſtias terre ⁊ animalia ⁊ hoc repre ſentat eccleſia in illo ymno quẽ cantamus die vene ris in veſperis ſcilicʒ Plaſmator hoĩnis deꝰ. Septima die ſcilicʒ die ſabbati requieuit a nouaꝝ ſpecie cõdicõ num. Angeloꝝ nouẽ ſũt chori

De angelis ſciendũ eſt ꝙ nouẽ ſunt ordines an geloꝝ ſcilicʒ ſeraphim cherubim throni dñacões principatus poteſtates virtutes angeli archãgeli. Bo nĩ aũt angeli ita confirmati ſũt in bono ꝙ nõ poſſũt facere malũ. Mali nõ ita confirmati ſunt in malo ꝙ nõ poſſunt facere bonũ. De ſituacõe ⁊ ordina cione mundi

De ſituacõne ⁊ ordinacõne mũdi ſic tenendũ eſt ꝙ totus mundus conſiſtit ex ma teria celeſtiali ⁊ elementali. Natura vero celeſtis diui ditur in tres partes principales. Empireũ criſtallum et firmamentũ. Intra firmamentũ qđ eſt celũ ſtellatũ

cōtinent ſeptē orbes planetarū que ſūt. Saturn9 iupi
ter mars ſol venus mercurius ⁊ luna. Natura vero ele
mentalis diuidit̄ in q̄tuor ſpecies ſcilicet Ignē aerem
aquā ⁊ terrā ⁊ ſic a ſūmo celo empireo uſq; ad centrū
terre ſūt decē orbes celeſtes ⁊ ſic ſūt q̄tuordecem ex qui
bus cōſtituitur et regatur totus mundus. De ordie

ſituacōis et cōpoſicōis iſtoꝝ corꝑum

ORdo ſituacionis ⁊ compoſicōis iſtorum corpo-
rū talis eſt ꝙ terra q̄ eſt grauis ponderoſa oīb;
aliīs elementis ē ſituata ⁊ poſita in firmo loco ſupra
terrā eſt aq̄ ſup aquā aer ſup aerē ignis ſupra ignē ē
luna ſupra lunā mercurius ſupra mercuriū ven9 ſupra
venerē ē ſol ſupra ſolē mars ſup martē iupiter ſupra io
uem ſaturn9 ſup ſaturnū ē celū ſtellatū ſup celū ſtella
tū ē celū criſtallū ſup celū criſtallū eſt celū empireū.
in quo ſtat filius dei cū carne nr̄a ⁊ beata virgo ma-
ria ⁊ angeli ⁊ oīs ſancti Sed notādū ē ꝙ ſimiliter
in celo empireo inter āgelos et ſanctos ē ſedes ſupior
et inferior nā ordo angeloꝝ ē inferior oīb; aliīs ſupra
angelos ſunt archāgeli ſupra archāgelos ſūt princi-
pat9 et iſti tres ordīes ſūt ī media ierarchia ſupra dn̄a
cōnes ſūt throni ſupra thronos ſūt cherubin ⁊ ſeraphī
et ſup oīs ſanctos ⁊ angelos ē beata virgo maria ſu
pra virginē et oēm creaturā ē criſtus fili9 dei cū carne
nr̄a ſupra criſtū in q̄tū homo ē de9 pater oīm ⁊ creator
ſupra deū nichil eſt De hoīb9 bn̄ moientib9

SAncti vero homines quando moriuntur bn̄e
aſſumūtur ad excellentiā et dignitatē angeloꝝ

videlicet illi qui habuerũt maiorẽ caritatẽ aſſument
ad ordinẽ angeloꝝ. Illi aũt qui habuerunt adhuc
maiorẽ caritatẽ aſſumunt ad dignitatẽ ⁊ excellentiã
principatuũ ⁊ ſic de angelis aſcendit uſqꝫ ad ordinẽ
ſeraphim qui eſt ſupremus ⁊ ꝓpinquior deo omnibuſqꝫ
alijs ordinibꝫ vnde illi qui moriũtur in ſumma carita
te et excellentia aſſumũtur ad ordinẽ ſeraphiticũ ſicut
credimus eſſe aſſumptos ſanctos angelos ⁊ beatã ma
riam magdalenã ⁊ multos alios ſanctos martires et
virgines q̃ fuerunt feruentiſſimi ĩ caritate et aſſumun
tur cottidie ad dignitatẽ ⁊ excellentiã ſeraphiticũ. Et
ſic patet quomõ in vita eterna eſt diſtinctio in beatitu
dinibꝫ ⁊ dignitatibꝫ ſcd̃m maius et minus. qm̃ vnuſ
habet maiorẽ gloriã q̃ꝫ alius ⁊ maiorẽ beatitudinem
q̃ꝫ alius. Et ꝓpter hoc dicit dñs in euangelio mathei.
In domo patris mei manſiones multe ſunt. Tamen
ſciendũ eſt ꝙ quilibꝫ ita plenus ẽ benedictione et glo
ria ꝙ nõ deſiderat plus. vnde ſi diceretur beato ſtepha-
no vel alicui ſancto martiri velles tu habere gloriã ſã
cti petri. Ille reſponderet ꝙ nõ quia ſũ plenus gracia
et beatitudine ita ꝙ nõ poſſum plus ſuſtinere vel cõti
nere. Et de hoc poſſumꝰ habere exemplũ de magno va
ſe ⁊ paruo. Poſito ꝙ vnus vrceus magnus et vnus
paruus ſimiliter eſſent pleni Euidens eſt ꝙ in vno va
ſe plus eſt de aqua q̃ꝫ in alio. tamen ſi diceretur par-
uo. Vis de aqua iſtius magni vrcei ipſe diceret non
quia plenus ſũ uſqꝫ ad ſummũ ita ꝙ nõ poſſum pluſ
cõtinere et ꝑ ſimile eſt cõſiderare in ſanctis et animabꝫ

iuſtis ꝙ omnes ſūt in ſūmmā plenitudine et gloria.

De generacōe et productiōe iſtoꝝ inferioꝝ

De generacōne ꝛ productione iſtorū inferiorum hoc tenendū eſt ꝙ om̄s res iſte inferiores . ſiue ſint in aqua ut piſces ſiue ī aere ut aues ſiue ī terra ſicut hoīes et etiā alia aīalia ſiue reptilia ut ſerpentes et vermes ſiue ſup terrā ut aurū et argentū et cetera metalla ꝛ lapides om̄is certe producuntur et ꝑcreant ex q̄tuor elementis videlicet ex igne ꝛc̄ ita tn̄ ꝙ aliq̄ue creature plus accipiunt de vno elemento alie plus de alio nā creature que natant in aqua plus accipiūt de elemento aque volatilia q̄ volāt plus accipiūt de elemēto aeris hoīes et aīalia que ſtant in terra plus accipiunt de elemento terre . Et ſic nulla creatura eſt hic inferi9 ad cui9 cōſtitucōnē et ꝓductionē nō cōcurrūt iſta q̄tuor elemēta ſcilicet ignis aer terra et aq̄ hoc tn̄ fit ꝑ virtutē ſpecieꝝ ſupioꝝ planetarū q̄ ſūt ſaturn9 ꝛc̄ Eſt aūt differētia int̄ iſtos planetas q̄ q̄nq̄ vn9 planeta magis opat̄ in vno mēſe ꝙ in alio et magis influit virtutē ſuā ſup vnā ꝓuinciā vel ſup vnū hoīem alius magis ſil'r et ſic de ſingulis ſcḋm ꝙ ordīauit diuina ꝓuidētia ſapiētiſſime ſ; ſol p̄re ceteris planetis magis influit v̓tutē ſuā ī iſta inferiora et magis ſcḋm v̓tutē ſolis ꝙ alioꝝ planetaꝝ res ꝓducūt̄ et generāt̄ . nā ſicut dicūt ſapiētes ſol ē pater generacōis ꝑ oīa viuificat et reb; oīb; vitā et ſpecieꝝ formā admiſtrat . orbes aūt iſtorum planetarū ſunt transparantes ita ꝙ orbis ſiue corpus vnius planete nō impedit viſionē alterius

vnde aer nõ impedit viſionẽ celi ignei. nec celũ igne
um viſionem orbis vbi eſt luna ꝛ ſic de ſingulis cla
re eñ lucet ꝛ oculus noſter penetrat ꝛ videt uſq; ad ce
lũ ſtellatũ. De Etatibus mũdi

De etatib9 mundi. Sciendũ eſt ꝙ totus iſte mun
dus decurrit per ſex etates. Prima etas fuit ab a
dam uſq; ad noe. Secũda fuit a noe uſq; ad abrahã
Tercia fuit ab abrahã uſq; ad dauid. Quarta fuit a
dauid uſq; ad tranſmigracõnem babilonis. Quinta
fuit a tranſmigracõne babilonis uſq; ad aduentũ cri
ſti. Sexta erit ab aduentu criſti uſq; ad finem mũdi

De etatib9 De etatibus hominũ
hoĩs ſciendũ eſt ꝙ tota vita hoĩs decurrit per ſex
etates. Prima etas eſt infantia ꝛ durat uſq; ad ſeptem
annos. Secũda etas eſt puericia ꝛ durat uſq; ad quĩ
decim annos. Tercia etas eſt adoleſcentia que durat a
xv. anno uſq; ad xxv annũ. Quarta etas eſt iuuen-
tus et durat a xxv. anno uſq; ad quinq̃gīta annos.
Quinta etas eſt ſenectus et durat a quinq̃geſimo an-
no uſq; ad lxxx. annos. Sexta etas eſt ſenuĩ ſiue gra
uitas ꝛ iſta etas non terminat aliquo certo termino
annoꝝ ſ morte finitur. Et notandũ eſt ꝙ etates mun
di hoĩs nõ dicũtur etates ꝓpter hoc ꝙ finit mund9 vel
homo morit. ſ q2 in qualibet etate mũdi facta fuit a-
liqua innouacõ ſic fit in qualibet etate hoĩs. Nã in
prima etate mũdi facta fuit ipſi9 mũdi formacõ caſus
demonũ ꝛ cõfirmacõ angeloꝛũ. Itẽ ſicut illa etas to-
ta fuit p diluuiũ deleta. ita prima etas hoĩs ſcilicet

Infantia que durat uſqꝫ ſeptimū annū ſcilicet uſqꝫ ad
puericiā tota deletur ꝑ aquā baptiſmatis parū vel ni:
chil recordatur horū que fecit in infantia. In ſecunda
etate que fuit a noe uſqꝫ ad abrahā factū fuit diluuiū
ꝑ quod oīs mali fuerunt deleti. Et facta fuerit archa
noe in qua octo homines fuerunt ibi ſaluati. Itē fuit
diſtinctio linguarū. nā in ſecūda etate illa fuerūt gi:
gantes magni de fortitudine ſua voluerunt per poten
tiam ſuā conſtruere turrim ⁊ ꝑ illam turrim aſcendere
celum. Sed deus ipſorum ſuperbie ⁊ diſpoſicioni reſi
ſtens miſit ī eos confuſionē linguarum ⁊ diuiſit lin
guas in lxxij. vnde edificantes turrim non intellige:
bant ſe. ſed quando vnus petebat calcem ⁊ alius da
bat ſibi lapides ⁊ ſic dimiſerunt opus inceptum. fuit
aūt ab adam uſqꝫ ad illud tempus ſolūmodo vna lin
gua ſcilicet hebrea qua loquebantur omnes gentes.
Et ſic vides quales innouacōnes facte fuerunt in ſecū
da etate mundi. Et quomodo facta fuit mutacio lin:
guarum. Eodem modo in etate hominis ſcilicet in pu
ericia fit mutacio linguarū. quia tunc puer incipit lo
qui recte ⁊ expedite. ⁊ incipit habere fortitudinem. In
tercia etate mundi que fuit ab abraham uſqꝫ dauid fu:
it vocatus abraham a deo ⁊ fuit ei data circumciſio. ⁊
fuit ei dictnm ꝙ vocaret filios ad cultū dei ſimiliter ī
tercia etate hoīs ſcilicet ī adoleſcētia q̄ incipit a xv. an
no ⁊ tūc homo incipit habere vim generatiuā ⁊ potētiā
generādi ad ꝓcreādū. In q̄rta etate mūdi eccleſia fuit
in magno ſtatu qꝛ dauid ampliauit cultū diuinum.

Similiter homo in quarta etate ſcilicet in iuuentute
que incipit a xxv anno et durat uſqꝫ ad quinquageſi
mū annū in excellēti ſtatu eſt quia in hac etate floret
vita hoīs. In quinta etate mūdi que durauit a da-
uid uſqꝫ ad tranſmigrationē babilonis pplʼus iſrahel
captus fuit a pharaone ⁊ ductus in captiuitatē babi
lonie ⁊ ibi fuerūt filij iſrahel lōgo tempore ī magna
miſeria ⁊ magna captiuitate ⁊ multa tribulacōne. ſi
militer in quinta etate hoīs que incipit a quinq̄geſi-
mo anno ⁊ durat uſqꝫ ad lxxx annos ꝑ defectū corpo
ris ⁊ ſenectutē homo capit ⁊ captiuatur a multis mi
ſerijs ⁊ incomodis. In ſexta etate in qua ſumꝰ modo
natus eſt criſtus pro ſalute humani generis de cuiꝰ ſcri
ptura ⁊ doctrina repletus eſt mūdus ⁊ illuminatus.
Et iſta etas nō terminat certo annoꝝ numero ſ; finie
tur cū mūdo quia in hac etate debet finiri mūdus. Si
militer in ſexta etate hoīs que incipit poſt lxxx. ānū
homo eſt in perfecta ſcientia ⁊ ſapientia q̄ inuenitur uſ
qꝫ ad canos ⁊ etas iſta vocatur ſeniū et nō terminat
certo numero annoꝝ ſ; finitur morte. Et ſic patet ꝙ to
tus mūdus iſte a principio natiuitatis uſqꝫ ad mortē
ꝑ ſex etates currit. ⁊ ſic in etatibꝫ mūdi facte fuerunt
mutacōnes ⁊ innouacōnes. ſic vita hoīs ꝑ q̄libet
etatem mutat ⁊ variat. De vicijs capitalibꝰ

DE vicijs capitalibꝫ. Sciendū eſt ꝙ ſūt ſeptē ſci
licet Superbia inuidia ira accidia gula auari
cia luxuria. Iſta ſeptē vicia dicunt capitalia ex qui
bus oīa alia vicia oriunt. De donis ſpūs ſctī

DE donis ſpiritus ſancti tenēdū eſt ꝙ ſūt ſeptē ſci
licȝ donū timoris dn̄i donū pietatis donū ſciētie
donū fortitudīs donū ꝯſilij donū intellect⁹ ⁊ donū ſa-
piētie. Iſta vero ſeptē dona ſpūs ſācti ſūt ꝯtra ſeptē vi
cia capitalia ⁊ expellūt ipſa vicia de aīa nr̄a nā timor
eſt ꝯtra ſupbiā q̄ em̄ timet iudiciū dn̄i quo detinet ſup
biā ⁊ humiliat ⁊ nūꝙ̄ ſinit ſupbire Pietas ē ꝯtra īui
diā q̄ em̄ pi⁹ ē nō inuidet ꝓximo ſuo de bonis q̄ videt
ſibi īmmere ĩmo ꝓpria bona dat ei ⁊ expēdit Sciētia
eſt ꝯtra irā q̄ em̄ hȝ ſciētia nūꝙ̄ iraſcit̄ nā ira ē q̄dā ſtul
ticia Fortitudo ē ꝯtra acadiā acadia eīm tenet aīam pi-
grā ⁊ debilē ad faciēdū bene nā q̄ hȝ fortitudinē expellit
acadiā p bona opa Cōſiliū ē ꝯtra auariciā nā cōſiliū
dei ē qd̄ nō ſit auar⁹ ſꝫ ꝙ largiat̄ bona ſua paupib⁹ do
nū intellect⁹ ē ꝯtra gulā nā q̄ itelligit mādata dei nō
ſolū ꝯmeſſacōes et ebrietates refugit verū etiā cibos cor
poris obliuiſcit̄ Donū ſapiētie eſt cōtra luxuriā q̄ em̄
ſapiētiā habet refugit luxuriā tāꝙ̄ mortē ⁊ ſic patet ꝙ
iſta ſeptē dona ſpūs ſācti ſint cōtra ſeptē vicia capita-
lia expellenda de aīa noſtra.

## De octo btitudinibus

DE beatitudinib⁹ tenēdū ē ꝙ ſint octo q̄s
ſaluator noſter enumerat ī euāgelio mathei Pri
ma beatitudo ē pauptas ſpiritu ꝙ hō diligat pauptatē
amore dei vn̄ dicit dn̄s Beati paupes ſpiritu qm̄ ipſo
rū ē regnū celoꝝ Scd̄a beatitudo ē mititas ſiue māſue
tudo ſcilicȝ ꝙ homo ſit mitis ⁊ humil̄ et de hoc dicit in
euāgelio Beati mites qm̄ ipſi poſſidebūt terrā Tercia
beatitudo ē luct⁹ ſcilicȝ ꝙ homo lugeat p peccatis ſuis

et peccatis proximoꝝ filioꝛū Et de hoc dicit dn̄s. Beati qui lugent qm̄ ipſi conſolabūtur. Quarta beatitudo eſt eſuries iuſticie ſciliʒ ꝙ homo deſideret iuſticiā ⁊ tā tum ꝙ magis vellet mori q̄ꝫ a iuſticia ſeparari. Et de hoc dicit dn̄s. Beati qui eſuriūt iuſticiā qm̄ ipſi ſaturabunt. Quinta beatitudo eſt ſciliʒ ꝙ homo faciat miſericordiā proximis ſuis. ⁊ de hoc dicit dn̄s. Beati miſericordes qm̄ ipſi miſericordiā conſequent. Sexta beatitudo eſt mundicia ſciliʒ ꝙ homo ſit mūdus nec cogitat nec loquatur nec faciat turpia. et de hoc dicit ſeneca. Omnia preter turpitudinē tollerabilia crede. ⁊ de hoc dicit dn̄s. Beati mundo corde qm̄ ipſi deū videbūt Septima beatitudo eſt pax ꝙ homo ſit pacificus ⁊ diligat pacem. ⁊ de hoc dicit dn̄s. Beati pacifici qm̄ filij dei vocabūtur. Octaua beatitudo eſt paciencia pſecucōnis ꝓpter iuſticiā. ⁊ de hoc dicit dn̄s. Beati qui pſecucionē patiunt ꝓpter iuſticiā. De peticōibꝫ dn̄ice oracionis

De peticōnibꝫ oracōnis dominice

Sciendū eſt ꝙ ſunt ſeptē q̄s dn̄s docuit diſcipulos ſuos. Nam legit in euāgelio mathei. ꝙ diſcipuli dixerunt criſto. Dn̄e doce nos orare. Et criſtus dixit eis. Cū oratis dicite. Pater noſter ⁊c̄. In iſta oracōne tūc cōpoſuit ſeptē peticōnes in quibꝫ ꝯprehendit ⁊ poſtulatur quicquid ſpectat ad honorē dei et ad ſalutem animaꝝ. Et ideo iſta oracō melioꝛ eſt oīnibꝫ alijs oracōnibus. Nā prima peticō eſt pater noſter ⁊c̄ ſanctificetur nomē tuū in nobis id eſt confirmetur in nobis. ita ut ſemper ſumus filij ⁊ tu pater nos ſemꝑ ſerui et

tu imperpetuū ſis dn̄s noſter· Secūda peticō eſt Adue niat regnū tuū id ē deſidero ⁊ peto ut totus mūdus id eſt oīs homo veniat ad regnū tuū Tercia peticio eſt fi at volūtas tua ſicut ī celo ⁊ in terra id ē peto et deſide ro ut om̄s hoīes faciāt volūtatē tuā in terra ſicut an: geli faciāt in celo Quarta peticio eſt Panē noſtrū cot tidianum da nobis hodie id ē nō ſolū petim⁹ cibū cor: poris ſꝫ cibū aīe qꝛ nō ī ſolo pane viuit homo ſꝫ ex oī verbo qd̄ ꝓcedit ex ore criſti Quinta peticio ē dimitte nobis debita nr̄a ſicut ⁊ nos dimittim⁹ debitoribꝫ nr̄is id ē tu large dimitte nob̄ debita nr̄a id ē offenſiones q̄s fecim⁹ ↄtra te ſicut ⁊ nos large ⁊ ex toto corde dimit timus debitoribꝫ noſtris Sexta peticio ē Et ne nos in ducas in temptacionē ⁊ ſpecialiter in vicium gule · q̄ ſepius peccam⁹ p qd̄ prim⁹ homo ⁊ multi alij ceciderūt Septima peticio ē Sꝫ libera nos a malo et precipue a vicio luxurie· per hanc enim multi ſapientes cecide: runt et ſubmerſi ſunt in profundum inferni ·

## De opibus miſericordie

DE operibus miſericordie ſic tenendum eſt ꝙ ſint ſex de quibꝫ ſaluator noſter exigit racionē in die iudicij· Primū opus eſt paſcere eſurientes· de q̄ ſalua: tor noſter dicit ī euāgelio Eſuriui ⁊ dediſtis michi mā ducare Et Salo· ſi inimicus vel inimicus tuus eſurie rit ciba illū Secdm̄ op⁹ miſericordie ē potare ſicientē et de hoc dicit dn̄s Sitiui ⁊ dediſtis michi bibere in e: uāgelio math· q̄ dederit potū vni ex minimis iſtis calicē aque frigide· amē dico vobis nō pdet mercedem ſuā·

Tercium opus miſericordie eſt hoſpites colligere ꝛ de
hoc dicit dñs hoſpes fui ꝛ recollegiſtis me et beat⁹ pau
lus dicit hoſpitalitatẽ nolite extinguere vel obliuiſci·
Quartũ opus miſericordie eſt veſtire nudos et de hoc
dicit dñs · Nudus fui et cooperuiſtis me · Et yſayas
ait Cũ videris nudũ operi eũ· Quintũ op⁹ miſcdie eſt
viſitare infirmos et de hoc dicit dñs · Infirmus fui et
viſitaſtis me. Et in eccãſt· Nõ te pigeat viſitare infir
mos ex hoc enĩ in dilectione firmaberis· Sextũ opus
miſericordie eſt viſitare incarceratos et de hoc dicit do
minus· In carcere fui et veniſtis ad me et paulus me
mento vinctoꝝ· Et ſic habes ſex opa miſericordie ſm
que execucõ toci⁹ finalis iudicij fiet· et illi in quib⁹ in
uenta fuerint illa ſex opera miſericordie adiudicabũ
tur regno celeſti· Illi vero in quib⁹ nõ inuenti fuerit
adiudicabuntur igni perpetuo· de x p̄ceptis

De preceptis diuinis et diuine legis · Sciendũ
eſt ꝙ ſũt decem digito dei in duab⁹ tabulis lapi
deis ſcripta ꝛ data moyſi ĩ monte ſinay ut doceret po
pulũ ꝛ quilibet homo debet ac tenetur ea ſcire ac obſer
uare· Primũ quorũ eſt· Nõ habebis deos alienos pre
ter me· in hoc deſtruit error illorũ qui venerabãtur de:
os plures ꝛ adorabũt ydola· nos aũt debemus adora
re ꝛ credere vnũ ſolũ deũ qui eſt creator omniũ celi et
terre· Iudex viuorũ ꝛ mortuoꝝ vnde dicitur ĩ exodo
Audi iſrahel deus tuus vnus deus eſt· Secũdũ prece:
ptum eſt· Non aſſumes nomẽ dei tui inuanũ· hoc ẽ di
cere non piurabis ꝛ hoc eſt contra illos qui iurant et

piurant cottidie pro nichilo nō attēdens qđ legit̄ in Eccāſt. Vir multū iurās replebit̄ iniquitate et nō diſcedet a domo eius plaga. Terciū preceptū eſt Memēto ꝙ diē ſabbati ſanctifices hoc eſt dicere diē dominicā cuſtodias et alia feſta ad laudē dei ⁊ ad honorē ſanctorū ordinata. Quartū preceptū ē honora patrē ⁊ matrē ut ſis longeuus ſup terrā. Quintū preceptū ē nō occides. Sextū nō mechaberis. Septimum nō facies furtū. Octauū nō falſū teſtimoniū dices. Nonū nō cōcupiſceris rem proximi tui. Decimū eſt nō deſiderabis vxorē ꝓximi tui. Ex hijs duob; preceptis vltimis ꝓhibetur om̄is cōcupiſcētia et voluntas mala mulierū licet nō ꝓcedat in actu et ſic habes decē precepta q̄ homo faciens viuet in eis ⁊ ſine quibus ſaluus eſſe non poterit. De conſilijs ad q̄ tenent̄ vi ꝑfī

De cōſilijs ad que tenentur viri perfecti Sciendū eſt ꝙ ſūt q̄tuor. Primū cōſiliū eſt humilitatis ⁊ māſuetudis de q̄ dicit dn̄s ī euāgelio Si qs pcuſſerit te in maxillā prebe ei alterā. Secūdm conſiliū eſt caſtitatis de q̄ ſimiliter dicit dn̄s Qui poteſt capere capiat Terciū cōſiliū eſt paupertatis de q̄ quidē dicit math. ſi vis eſſe pfect⁹ vade vende oīa q̄ habes ⁊ da paupib;. Quartū cōſiliū ē caritatis que etiam extenditur ad inimicos de q̄ dicit math. Orate p ꝑſequentib; ⁊ calūniātib; vos et ſic habes q̄tuor cōſilia ad q̄ viri pfecti tenē

## Articuli fidei

De articulis fidei hoc tur tenēdū ē ꝙ ſūt xij. cōpoſitores ipſoꝝ ſcilicȝ xij. apłi q̄ collegerūt ſingulos articulos in vnū ſimbolū

ita q̄ quilibet poſuit particulā ſuā · Nā primus id eſt
beatus petrus apl's tanq̄ caput dicat · Credo in vnū
deū patrem omnipotentē creatorē celi et terre · Andre:
as dixit · Et in ihesum criſtū filiū eius vnicū dn̄m no:
ſtrum · Johānes dixit · Qui cōceptus eſt de ſpiritu ſan
cto natus ex maria virgine · Jacobus · Paſſus ſub pō
tio pylato crucifixus mortuus ⁊ ſepult⁹ · Thomas di
xit · Deſcendit ad inferna tercia die reſurrexit a mor:
tuis · Jacobus dixit · Aſcendit ad celos ſedet ad dexte:
ram dei patris om̄ipotentis · Philippus dixit · Inde ven
turus eſt iudicare viuos ⁊ mortuos · Bartholomeus
dixit · Credo in ſpiritū ſanctū · Matheus Sanctā ec
cleſiā katholicā · Simon dixit · Sanctorū cōmunio
nem remiſſionem peccatorū · Judas qui cognomina
batur thadeus · Carnis reſurrectionē · Matheus dixit ·
Vitam eternā amen · Et ſic habes duodecim articulos fi
dei ⁊ quilibet hominū tenetur ⁊ debet om̄ia credere alio
quin infidelis tenetur ⁊ hereticus habetur ·

De ſacramentis eccleſie · Sciendū
eſt q̄ ſunt ſeptem ſcilicet Baptiſmus criſma qd̄
datur p̄ ſolos epiſcopos penitentia corpus criſti ordo
clericoꝝ matrimoniū oleū ſanctū id ē extrema vnctio
que datur in morte · Quinqꝫ ex iſtis ſunt neceſſaria
ſcilicꝫ Baptiſmus penitentia corpus dn̄i criſma ⁊ ex:
trema vnctio · vnde ſi homo contempnat aliqd̄ iſtoꝝ
et nō recipiat dūmō poſſit habere nō intrabit vitam
eternā · Alia vero duo ſcilicet ordo matrimoniū ſūt vo
luntaria ita q̄ homo nō tenetur nec cogat̄ ea recipere

niſi velit nã ꝛ ſine matrimonio poteſt q̈s ſaluꝰ fieri et
eſt notãdũ ꝙ tria de iſtis nõ debẽt iterari hoc ẽ nõ debẽt
recipi niſi vna vice tm̃ ſcilicȝ baptiſmꝰ ordo criſma
ſiue ꝯfirmacõ nã poſtꝗ̃ aliq̈s ẽ baptizatꝰ vl' ordinatꝰ
vl' criſmatꝰ nõ debet baptizari ordiari ꝛ criſmari alia
vero ſacramẽta poſſũt recipi q̃ncũqȝ ſũt neceſſaria. **De elemoſinis**

De elemoſinis ꝛ alijs ſuffragijs q̄
ſũt ꝑ mortuis Sciẽdũ ẽ ꝙ nõ valẽt hijs q̄ ſũt ĩ
ꝑadiſo quia ſũt glorioſi tm̃ ꝙ nõ indigẽt noſtro au
xilio et ſic ſolũ valent hijs qui ſũt ĩ purgatorio. pur
gatorius eſt locus iuxta infernũ et eſt ibi pena ignis
acerrima et afflictiſſima et purgant ibi illi q̄ ĩ hoc ſe
culo nõ cõpleuerunt penitentiã de peccatis ſuis et illi
qui ſũt ĩ tali loco poſſunt iuuari ꝑ oracões ꝛ elemo
ſinas ꝛ alia ſuffragia ꝛ maxime per miſſas. ita ꝙ cito
purgant ꝛ vadũt in gloriã licet minor ꝛ maior pe
na purgatorij ſit ſup terrã iuxta infernũ tamẽ aliqui
bus cõceſſum ẽ ꝛ cõceditur ꝙ ſup terrã purgent in ali
quibꝫ locis ſm ꝙ placet diuine ꝓuidentie. **de paſſione ꝛ morte xpi**

De paſſione et morte
criſti tenendũ eſt hoc ꝙ paſſus eſt criſtus paſſio
ne ignomĩoſa et paſſione generaliſſima et paſſione do
loroſiſſima fuit eĩ paſſio ignoĩoſa et vituꝑoſa Primo
qꝛ in mõte caluarie vbi ponebant malefactores Se
cũdo ꝓpter ignominioſũ ſuppliciũ qꝛ morte turpiſſima
ꝯdẽpnatꝰ ẽ ſcilicȝ morte crucis q̄ erat ſuppliciũ latronũ
Tercio ꝓpter ignominioſũ cõſorciũ quia latronibꝫ aſ
ſociatꝰ fuit ĩ cruce Itẽ paſſus fuit paſſiõe doloroſiſſima

Primo ppter nobilē cōplexionē ſuā et tenerā carnē et delicatā quā habebat nam q̄ntum caro tenerior ⁊ nobili or eſt tanto dolor paſſionis acrior. Secūdo quia pa tiebat̄ iniuſte ⁊ ſine cauſa. nā cum homo patitur ſua culpa minus affligit̄. Tercio q2 occidebat̄ ab amicis quibꝫ fecerat multa bona. nā plus affligit̄ homo cū infertur pena ab amicis de quibꝫ ſemꝑ ſperauit bonum q̄̄ ſi inferretur ab inimicis ſuis. Quarto quia patieba tur ⁊ infligebat̄ pn̄tialiter in illis menbris in quibuſ magis ſentit̄ dolor ppter cōgregacōem neruorū q̄ fūt ibi in manibꝫ ⁊ pedibꝫ. Quinto et vltimo fuit paſſus paſſione generaliſſima quia ꝑ om̄s ſenſus et ꝑ om̄es partes corpis ſui fuit punitus ⁊ afflictus paſſione ge neraliſſima ut ipſius pena reſponderet culpe humani generis qd̓ ꝑ penā ⁊ mortem ſuā intendebat redimere hoc expediebat quia ſicut homo totus fuerat infectus ppter peccatū ita criſtus per totū punitus fuit. Sicut primo homo peccauit in viſu videndo pomū vetitū ita criſtus fuit punitus in viſu vnde velauerāt faciem ſuā Et ſicut prim9 homo peccauit ī auditu audiendo vocē ſerpētis et dyaboli ut māducaret de pomo vetito ita cri ſtus fuit punit9 ī auditu audiendō blaſphemiā ita q2 primus homo peccauit in guſtu manducando pomū vetitū. ita fuit punit9 in guſtu dando ei bibere acetū cū felle mixtū. Itē q2 primus homo peccauit in tactu accipiendo pomū vetitū. ita criſtus punit9 in tactu af figendo manus ſuas cruci Et ſicut primus homo pec cauit ꝑ omnē partē corpis ſui. ita criſtus fuit in toto

corpore paſſus et de hoc qũomō in omībꝫ ſenſibꝫ dolo=
rem habuerat dicit Bernhardus. Facies pulcherrima
pre filijs hoīm ſputis iudeorꝫ deturpatꝰ. oculi lucidio
res ſole caligantꝰ in morte aures audiētes angelicos
cantus audiūt peccōrū inſultus. Os qđ docet angelos
felle ⁊ aceto potatꝰ pedes quorꝫ ſcabellū adoratꝰ qm̄ ſcā
ctū eſt crucī clauis affigitꝰ manus q̄ fecerūt celos ſūt
in cruce extenſe ⁊ clauis affixe. corpus verberatꝰ latus
lancea pforatꝰ et nichil ī eo remanſit niſi lingua que
pro peccatoribꝫ exoraret ⁊ matrē diſcipulo recōmēda
ret. Item quia primus homo peccauit querendo dele=
ctacionem in pomo vetito ita criſtus fuit punitus paſ
ſione acerrima. Item quia primus homo voluit ho=
norem ⁊ eſſe ut deus ⁊ ex hoc erectus eſt ī ſuperbia ma
gna criſtus fuit eleuatus ſup lignum crucis ⁊ paſſus
vituperoſa Itē ſicut primus homo p peccatū fuit mor
tuus ſpiritualiter ⁊ traditus in poteſtate demonū. ita
criſtus mortuus eſt corporaliter ⁊ traditus in poteſta
te iudeorꝫ. Itē ſicut mors primi hoīs fuit per lignum.
ita criſtus voluit mori in ligno. Item criſtus volu=
it mori morte crucis. ut oſtenderet ꝙ pro omnibus
paciebatur et pro ſalute hominū moriebatur. nam in
ferior pars crucis oſtendebat ꝙ paciebatꝰ pro illis qui
erant in inferno. ſuperior pars crucis oſtendebat ꝙ p
illam paſſionem aperiebatur nobis celum et reſtitue
batur celeſtis curia. Siniſtra pars crucis oſtendebat
qđ paciebatꝰ ab inimicis. Dextera pars crucis oſtende
bat qđ paciebatꝰ pro amicis ut duceret eos in gloriā

Itē per manus quas extendebat in cruce oſtendebat ꝙ eſt paratus recipere oīs ſi ad ipſū redire velimus Itē attende ꝙ criſtus nō fuit mortuus in celo nec in terra ſ in aere ⁊ in medio inter celū et terrā ⁊ ad hoc oſtendendū ꝙ erat vere mediator inter deū ⁊ hoīnē inter celeſtia et terreſtria.

Expliat prima pars Incipit ſecunda


De anticriſto et eius aduentu. i
De ſignis ante diem iudicij ij
De die iudicij. iij
De inferno. iiij
De penis inferni. v
De gloria paradiſi. vi
De diuinis officijs. vij
De tempore ſeptuageſime. viij
De officio lamentacōnum. ix
De ſignificacōne indumentorū ſacerdotū Et de ſignis que fiūt per ſacerdotem celebrantem miſſam. x


## De anticriſto ⁊ eius aduentu

DE anticriſto et eius aduentu hoc tenendū eſt. ꝙ naſcetur vltra mare per operacionem demonum iuxta finem mundi in quadam terra que vocatur babilonia. poſtꝙ fuerit in etate trigīnta annorum Incipiet predicare in iheruſalem. Et dicat ſe eſſe criſtum filium dei. Et ad demonſtrandum magnam ſanctitatem faciet reedificari templum ſalomonis in iheruſalem. Et mittet diſcipulos ſuos per vniuerſum mundum ut

Et ad demonſtrādū magnā ſanctitatē faciet reedificari templū ſalomonis ī ihr̄l'm et mittet diſcipulos ſuos ꝑ vniuerſum mūdum ut cōuertantur gentes ad ipſum ⁊ tunc omnes iudei conuertentur ad eum credentes eum eſſe meſſiam in lege promiſſum. Et alij multi ibunt poſt eū quidā timore tormētoꝝ qñ hoīes nolūt eū ſe-qui faciet eos occidi Quidā vero ibūt poſt ipſū ꝓpter cupiditatē numeꝝ qm̄ ſequētib⁹ eū multa munera lar giat̄ Perueniēt ad manus eius oīs theſauri abſcōdi ti ꝑ diuerſas partes mūdi et mltitudo immēſa auri opti mi et ſūt poſiti ſub cuſtodia demonū ꝗ anticriſto adue niēte demones docebunt eum et ſic ex magnis diuicijs quas largietur ſubuertet multos et de hoc dicit Dani el. In copia rerum occidet plurimos. Quidam vero ibunt poſt eum propter miracula que ipſi videbunt fi eri videbunt eīm fieri multa miracula ita ꝙ mortui vi debuntur reſuſcitari ⁊ alia miracula plura. propter ꝗ credunt ipſum filium dei ſed omnia miracula erunt fal ſa et fiunt per decepcionem dyabolicam ⁊ de hoc dicit a poſtolus cuius aduent⁹ eſt ſecundū operacōem ſatha ne in omni virtute et ſignis et prodigijs et mendacijs Et ſic propter nimiā potentiā quam exercet contra eos qui contradicent ſibi. et propter magnas diuicias ꝗs dabit ſequentibus eum. Et propter magna miracula que videbunt eum facere quaſi totum mundū trahit poſt ſe nā qui noluerint eum ſequi ꝓpter diuicias Et noluerint eum ſequi bene quidem Saltim ſequun-tur eum propter timorem tormentorum que infert.

vnde nulli vel pauci erũt qui nõ ſequũtur eũ propter munera. Tunc apparebũt duo ꝓphete qui ſunt in paradiſo delicarũ ſcilicz Enoch et helyas ⁊ dabũt teſtimoniũ de criſto qui iã venerat. ⁊ ꝙ iã fuerit mortuus pro ſalute humani generis ⁊ dicent anticriſtũ filiũ diaboli ⁊ ſeductorẽ gentiũ ⁊ predicabũt gentibus ut ei nõ obediant. propter hoc anticriſtus faciet eos occidere nullus em̃ poterit reſiſtere potẽtie ipſius ꝟ durabit in tanta potentia ⁊ dominio ꝑ tres annos ⁊ dimidiũ poſtea mittet dñs fulgur ⁊ occidet eum. Judei aũt cũ magna reuerentia accipient corpus eius ⁊ ſepelietur ĩ monumẽto ⁊ expectabũt ꝙ tercia die reſurgat. poſt tres vero dies videntes ꝙ non reſurget. ꝟ inuenietur corpus ei⁹ fetidũ ꝯgnoſcent ⁊ dolebũt ſe male credidiſſe ⁊ tũc om̃s ꝯuertent̃ ad deũ ⁊ ad fidem criſti ⁊ ſalui erunt ⁊ hoc dicit yſayas. In diebus illis ſaluabit iuda poſt mortẽ anticriſti id eſt populus iudeorũ cõuertetur ad deũ et ad fidem criſti De ſignis ante iudicium

De ſignis ante diẽ iudicij ſciendũ ꝙ poſt mortẽ anticriſti criſtus volens facere iudiciũ mundi. Primo faciet ſigna magna et horribilia in celo et in terra et in mari. vnde beatus iheronim⁹ dicit ſe inueniſſe in ãnalib⁹ iudeorũ de quindecim ſignis. q̃ debent eſſe quindecim dieb⁹ ante diẽ iudicij ꝟ non dicit vtrũ iſti quindecim dies in quib⁹ debent fieri iſta qui decim ſigna erunt cõtinui vel interpolatim ꝟ dicitur ꝙ qõlibet die erit vnũ iſtorũ. Nã prima die eleuabitur mare ſuper om̃es montes mũdi quadraginta cubitis

ſtans in locū ſuū q̄ſi murus · Scd̄a die tm̄ ſub terra
deſcendet ꝙ vix poterit videri Tercia die marine belue
apebūt ſup mare ⁊ dabūt rugit⁹ q̄s ſolus deus intelli
git Quarta die ardebit mare ⁊ oēs aque ſil'r Quī
ta die arbores et herbe dabūt rorē ſanguineū et oīa ce:
li volatilia cōgregabunt ī locū vnū q̄dlibet gen⁹ in
ordīe ſuo et nō māducabūt et bibent · Sexta die vrēt
oīa edificia mūdi fluia ignea ſurgent ab oriēte uſq̄ ī
occidentē occurrētia Septima die petre adinuicē colli
dent et vnaq̄q̄ pars aliā collidet q̄rū de⁹ ſolus intelli:
git ſonū · Octaua die fiet generał mot⁹ terre p vniūſū
mundū et erit ita magnus ꝙ nullū aīal poterit ſtare
erectū ſ; omēs hoīes ⁊ beſtie cadēt in terrā · Nona die
oēs montes ⁊ colles redigentē ī puluerē ⁊ tota terra e
rit equalis ⁊ plana Decima die hoīes exibūt de caū
nis in quib; ſe abſconderāt ⁊ ibunt velut amētes et nō
poterūt ſibi loqui aliq̄d verbū · Undecima die oīa ſe
pulcra ab ortu ſolis uſq̄ ad occaſū erūt aperta ⁊ oſſa
mortuoꝝ ſtabunt ſupra ſepulcra Duodecima die ſtel
le cadent de celo et omīa animalia venient viciſſim ad
campos mugientia et non manducabunt nec bibent ·
Tredecima die morietur omne viuēs · Quartadecima
die ardebit celum et terra id eſt ſuperficies terre et ae:
ris · Quintadecima die fiet celum nouum et terra no:
ua · et omnes homines reſurgent · Sed notandum
eſt ꝙ ad purgacionem mundi deus mittet tantam
quantitatem ignis ꝙ erit altior omnibus montibus
huius mundi cubitis ſecundum ꝙ fuit aqua diluuij ·

Et ille ignis erit loco purgatorij hoibus illius tpis
et dampnatis erit loco maioris trucidacōis Quoni
am facta purgacōne mūdi deus diuidet calorē ignis a
splendore qm̄ tantū colorē mittet ad regnū dampna:
torū ut amplius trucident. et tantum splendorē mittet
ad regnū beatorū ꝙ amplius iocundetur.

De extremo iudicio

De die iudicij hoc tenendū est ꝙ postꝙ
placuit dn̄o nostro ihesu cristo reddere vnicui
ꝗ iuxta opa sua cū infinitis exercitib; angeloꝝ ⁊ san:
ctorū descendet ī valle iosephat ⁊ stabit ibi supemīnē
ti solio ut ab om̄ib; videri potest ⁊ mittet angelos su:
os cū tuba ⁊ clamore magno tūc om̄s mortui resur:
gent cū corpib; suis ⁊ cōgregabūtur in locū vnū an
te faciē gloriosi iudicis ihesu cristi ut vnusquisq; red:
dat racōnem eoꝝ que fecit. Et apparebūt ibi signa cri
sti scilicet crux lancea claui corona spinea . ⁊ in eius
gloriosa carne videbūt vulneꝝ cicatrices ⁊ tunc pa:
stor ille sanctissimus saluator mundi diuidet malos a
bonis. Malos quidē statuet ad partē sinistrā. Bonos
aūt ad dextrā. Et tūc om̄iū cogitacōnes dicta ⁊ facta
erūt corā om̄ib; publicata ⁊ manifesta ⁊ tūc de omni
bus iudicabit ille rectissim⁹ iudex et examinabit oīa
peccata et disceptabit cū peccatorib; . Erit em̄ summa
potestas iudicis a qua nō poterit appellari et de hoc di
cit. Job. Et nō est qui de manu tua possit eruere . Itē
erit sūma pspicacitas quia non poterit ei aliquid ab
scondi ꝗ parua et magna adducet deus in iudicium ⁊
scrutabitur. Itē de verbis ociosis dicit . Matheus. De

omni verbo qđ locuti fuerūt hoīes · reddent racionē in die iudicij Itē de malo expenſo tempore Et de hoc dicit Bernħ · oīne temp⁹ tibi impenſū requiret q̄liter a te ſu erit expenſū Itē erit illi⁹ſūma equitas · q̄ nō poterit prece nec precio corrūpi nā ſi beata virgo ⁊ oīs ſancti rogarēt pro aliquo q̄ eſſet ī peccato mortali non exaudiretur eoꝝ oracō vnde Salo · Zelus ⁊ furor viri nō parcet in die iudicij nec acq̄eſcat cuiuſq̄ precibꝫ nec ſuſcipiet ꝓ redempcōe dona plurima tunc miſeri ⁊ peccatores erūt in anguſtia ⁊ ī anxietate indicibili q̄ fugere nō poterūt ſ; formidabūt ſtare ante faciē iudicis vnde dicit gregori⁹ · O q̄ anguſte erunt vie reprobis ī die iudicij nā deſup erit iudex iratus deſubtus chaos magnū apparēs a dextris peccata accuſantia a ſiniſtris demoīa infinita ad inferos trahentia Si dixeris q̄s me videbit dico tot⁹ mūdus offenſo ei creatore oīs creatura odio te habebit Itē cōſciētia intus vrens foris mūd⁹ ardens miſer peccōr ſic deprehēſus q̄ fugiet latere eñi impoſſibile erit apparere erit ītollerabile vñ Joħ in apoc · ī illa die q̄rent peccōres mortē ⁊ nō inueniēt ⁊ deſiderabūt ⁊ fugiet ab eis precipue ille iudex miſericordiſſim⁹ examiabit nos de opibꝫ miſcđie ⁊ ſcḋm opa miſericordie dictabit ⁊ pnūciabit diuina ſentētia ita q̄ illi ī q̄bꝫ opa miſcđie fuerūt inuēta adiudicabūt regno celeſti illi vero ī q̄bꝫ repti nō erūt adiudicabūt eterno ſupplicō vñ dicit matħ · Tūc aūt dicit rex hijs q̄ a dextris erūt Venite benedicti pr̄is mei poſſidete regnū vobis patū a cōſtitucōe ⁊c̄ Eſuriui ⁊ dediſtis michi māducare

Sitiui et dediſtis michi bibere hoſpes fui et recollegi
ſtis me nudus fui et cooperuiſtis me in carcere fui et
veniſtis ad me infirmus fui et viſitaſtis me. Amē di=
co vobis q̄diu feciſtis vni ex minimis iſtis michi fe=
ciſtis. Tunc dicet hijs qui a ſiniſtris erūt. Ite maledi
cti in ignē eternū qui paratus eſt dyabulo et angelis
eius. Eſuriui et nō dediſtis michi manducare ꝑ om̄ia
opa miſericordie. Amen dico vobis q̄diu nō feciſtis
vni ex minimis iſtis nec michi feciſtis. Hij vero ibunt
in eternū ſupplicium. Iuſti vero in vitā eternā.

## De inferno

De inferno ſciendū eſt. ꝙ ille locus qui
dicitur infernus eſt locus corporeus ſub terra ī
quo dampnati cruciabunt tā hoīes q̄ demones. Qua
druplex eſt locus in inferno. Primus locus eſt inferi
or in quo ſūt tenebre ac pena ſenſibilis ⁊ eterna carē=
tia viſione dei. Et ad iſtū locū deſcendunt illi qui mo
riuntur in peccato mortali. Secundus eſt locus ali
quantulū ſupra et ille locus vocat limbus puerorum.
et ibi vadūt illi q̄ moriūtur ſine baptiſmo et ibi ſūt
tenebre carentes viſione dei quia nō videbūt deum et
carent gracia dei quia nunq̄ videbūt nec habebūt vi
tam eternā tamē ibi nō eſt pena ſenſibilis quia nō ſen
tiunt nec patiunt aliquē cruciatū. nec ignis neqꝫ rei
alterius que poſſit eis inferre penā vel dolorē. Tercius
locus eſt adhuc magis ſupra in quo ſunt tenebre ca=
rentes viſione dei. qm̄ nō videtur deus. et eſt ibi pena
ignis ſ; locus ille nō ē ſine gracia et vocat purgato=
rium. et ibi ſtant in igne donec ſunt purgati. et poſt

purgacōem cōdignā vadūt in gloriā Quartus locus
eſt ſupius et ſupremus et ille fuit ad quē pres veteris
teſtamēti deſcēderūt qꝛ moriebant ī fide ⁊ caritate et in
illo loco fuerūt tenebre et obſcuritates viſione dei ca-
rētes qꝛ nō videbāt deū nec erat ibi pena ſenſibilis nul
lū cruciatū ſenciebāt nec erat ibi carētia gracie qꝛ ſemp
liberari ſperabāt ab illo carcere p criſtū filiū dei.

De penis inferni

De penis inferni ſciendū eſt
q post ſententiā extremi iudicij prolatā a ſūmo
iudice ihesu criſto p quē iuſti aſcribent regno celeſti.
Et dampnati mittent in caminū ignis ardentis et tunc
tam hoies q demones cruciabunt igne inferni et eter-
naliter affligent oēs igne corpali qui cruciabit ⁊ af-
fliget ſpūs et corp9 nō tn̄ illa corpa cōſumet ſʒ ſp affli
get illos plus alios min9 ſm q vnuſqſqꝫ plus vl mi
nus peccauit Sūt aūt huic afflictioni coniuncte alie pe
ne diuſe et īnumerabiles Eſt aūt pena vmiū q nō mo
riunt. vnde Yſay. Vermis eoꝝ non morietur ⁊ ignis
eorū non extinguetur Item eſt fetor intollerabilis ſci-
licet ſulphureus. vnde in apocalipſi. Pars eorum in
ſtagno ignis ardentis ⁊ ſulphuris. Item eſt ibi pena
frigoris indiabilis vnde Job. Ab aqua niuium trāſi
bunt ad calorem nimium Item eſt ibi pena famis cru
delis. vnde Yſayas. Serui veſtri comedent et vos e
ſurietis. Item eſt ibi pena ſitis et tanta paupertas. q
nec vnam guttam aque habere poterunt. ſicut patet
in diuite qui ſepultus fuit in inferno. Vnde Lucas.
dicit q pecijt vnā guttam aque et non potuit habere.

Itē eſt ibi pena timoris ꝓpter demones quos videbūt
trāſire ſuꝑ ſeipſos. Vnde Job. Vadūt et venient ſuꝑ
eos horribiles. Si homo timet quādo non videt niſi
vnū demonē i pn̄ti q̄tus timor erit vbi tot demones
apparebunt. Itē eſt ibi diuturnitas pena vnde Math
Ite maledicti in ignē eternū diuturnitatis et ꝑpetuita
tis. Pena multum affliget dampnatos et hoc poteris
videre p exemplū. Multum enī eſſet homini fatigato
quieſcere in vno bono lecto. Tamen ſi quis diceret
ſibi quieſcas ⁊ iaceas ī iſto loco vſq₃ ad triginta an-
nos eſſet ſibi graue tormentum. Quid ergo illis qui
ſunt in tenebroſo carcere inferni et in igne ardenti et
ſciūt ſe pmanſuros nō ſolū p triginta annos ſed in
ꝑpetuū vnde yſa. Quis ex vobis habitare poterit cum
ardoribus ſempiternis. Et vide q̄ infernus dicitur eſſe
tenebroſus q₂ licet ibi ſit ignis infernalis cremacōnē
habet et nō lumen. Itē eſt in inferno penalis vniuerſi-
tas. q₂ poſt diē iudicij vniuerſe partes hominis erunt
in igne. Vniuerſitas aūt penā aggrauat et dolorem
et hoc poſſumus videre per exemplū. Magnus dolor
eſſet tenere manū ad ignē ſ₃ maximꝰ totū corpꝰ tenere
Quantus autē dolor dampnatoꝝ qm̄ om̄s erunt in
igne inferni ſepulti ī inferno eternaliter. Erunt enī in
inferno alie pene ad torquēdū et cruciandū dāpnatos
et tot et tante q̄ nec ore nec corde excogitare poſſunt
in eternū a quibus nos liberet ille glorioſus ſaluator
deus qui ſuo precioſo ſanguine nos redemit cui eſt glo
ria in ſempiterna ſecula. Amen. De Gloria

De gloria paradiſi hoc tenendum paradiſi
eſt ꝙ gloria beatorum ⁊ premia poſt reſurrecti
onem erunt immenſa et ineffabilia tam ex parte ani
me q̄ ex parte corporis. Primum donum ex parte ani
me eſt videre ſummum deum clare et ſine velamine ſi
cut eſt vnde yſayas. Deum in decore ſuo videbunt Et
iſtud erit immenſū gaudiū ⁊ ſumma delectacio vnde
Aug9. Si mali poſſent malēt deū videre ⁊ ī penis eē
q̄ extra penas et deū nō videre. ſicut enī delectat quis
videre res datas q̄tū delectabit videre oīm creatorem
Secūda dos ſiue donū aīe erit ī amādo ⁊ ſeruiēdo deo.
et bene ſūma iocūditas erit vn̄ beat9 Aug9. Si amabi
lis ē ſapiētia q̄ oīa cōdidit ex nichilo deniqꝫ ſi multe et
magne delectacōes ſūt ī reb9 delectabilib9 q̄lis ⁊ q̄ta
erit in eo q̄ ipſa delectacio eſt math9. q̄ bene fuerint q̄d
illis erit ⁊ qd nō erit. certe qḋ volēt erit ⁊ qḋ nollēt
nō erit. Tercia gloria vel dos ſiue donū aīe erit in te-
nēdo ipſū deū ſemꝑ ſempiternaliter poſt q̄ ſemel aīa
cōprehendit deū in gloria nunq̄ poterit ꝑdere nec di-
mittere. vnde Job. Et gaudium veſtrum nemo tollet
a vobis. Et in canticis dicitur Tenui eum nec dimit-
tam. Ex parte corporis in dilectis erunt quatuor do-
tes glorioſe. Prima erit claritas ad modum ſolis.
Et tunc ſol ſplendebit in ſeptuplum clarius q̄ modo.
Et tunc corpora noſtra erunt lucida et ſplendida. in
ſeptuplum q̄ modo ſit ſol. Vnde Salomon. Fulge-
būt iuſti ſicut ſol. Secūda dos erit corꝑis īpoſſibilitas
corrumpendi. nō enī corrūpi poterit infirmari uł pati

Vnde ſi beatū corpus poneretur in igne ſiue in aqua
ſeu ferro ꝑcuteretur nō lederetur. Et de hoc poteſt vide=
re exemplū in ſole. Sol eñ nō patitur nec corrūpit̄
ſiue vadat ꝑ aquam ſiue ꝑ ignē ſiue ferro ꝑcuteretur
nō inde leditur. et ſimile poſſum⁹ cōſiderare in corpori
bus beatis. Tercia gloria ſiue dos corꝑis erit ſubtili
tas. Erit eñ corpus ita ſubtile ⁊ virtuoſū ꝙ oīa pe
netrabit obſtacula. vnde dicit euangeliū ꝙ clauſis ia
nuis intrauit ihesus ad diſcipulos ſuos ⁊ hoc poſſu=
mus videre exemplū. Radius eñ ſolis ſine fractione
penetrat vitrū ⁊ ingredit̄ domū. ⁊ ſic poterit videri in
corꝑe glorificato. Quarta dos ſiue gloria corꝑis erit
agilitas ſic eī erit agile ⁊ velox ꝙ ſtatim ierit quocū
q̃ voluerit. vnde in momento ibit ab oriente in occi
dentē. ⁊ de hoc poſſum⁹ videre exemplū ꝑ cogitacōnem
Vides eñ ꝙ cogitacō noſtra velox eſt ⁊ agilis ꝙ ī cō
tinenti vadit quo ire vult. vnde ſtando hic in momē
to vadit romā vl̄ vltra mare ⁊ videt̄ ibi videre aquā
tyberis. Eodē mō ī corꝑe glorificato q̄r vbicunq̃ vo
luerit in momento erit. Ex parte corꝑis ⁊ anime infi=
nita gaudia erūt beatis ⁊ precipue duodecim q̄ null⁹
poteſt habere in hoc mūdo. Primū gaudiū erit dies ſi=
ne nocte vnde Job. Ciuitas illa nō eget ſole neq̃ lu
na ut luceant in ea. nā claritas dei illuminat eā ⁊ lu
cerna eius eſt angelus. Secūdm gaudium erit leticia ſi
ne triſticia vnde yſayas. Leticia ſempiterna ſup capi
ta eorū. Terciū gaudiū erit iuuentus ſine ſenectute q̄r
omnes erim⁹ in etate criſti id eſt triginta annorū vn̄

paulus donec occurram⁹ oēs in viꝝ pfectū ⁊ in menſu
rā etatis plenitudīs criſti Quartū gaudiū erit vita ſi:
ne morte vn̄de Salo· iuſti aūt imppetuū viuēt Quī
tū gaudiū erit ſapiētia ſine defectu vn̄ paul⁹ Cognoſco
expte tūc cognoſcā ſicut ɔgnit⁹ſū Sextū gaudīm erit
ſanitas ſine infirmitate vn̄ Salo· Qui ſanas oēs in
firmitates Septimū gaudiū erit libertas ſine ſeruitu:
te vn̄ Joh· Si filius dei vos liberabit vere liberi eritis
Octauū gaudiū erit pax ſine pturbacōne· Vn̄ pſalmi
ſta· delectabunt̄ in multitudine pacis· Nonū gaudiū
erit pulchritudo ſine deformitate nā oēs erim⁹ pulchri
ſicut ſol· vn̄ math· Tūc iuſti fulgebūt ī regno pris
ſicut ſol Decimū gaudiū erit ſacietas ſine fame ·vnde
pſalmiſta· Saciabor dum manifeſtabitur gloria tua
Vndecimū gaudiū erit cantus ſine ceſſacione vnde Jo
hannes · Qui non ceſſant clamare cottidie vna voce
dicentes· Sanctus ſanctus ſanctus ⁊c̄ Duodecimum
gaudium erit requies ſine labore· Vnde Johānes Am
modo iam dicit ſpiritus ut requieſcat a laboribus ſu:
is· Erunt adhuc in ipſos beatis alia gaudia et delecta:
menta · tam ex parte corporis · ꝙ ex parte anime ma
gna et mirabilia que nec oculus vidit nec auris audi
uit nec in corde hominis aſcendit· quanta preparauit
deus diligentibus ſe· quia nec corda hominum ſuffi:
cerent meditari· Ad que gaudia perducat nos deus·
qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum Amen· De

## diuino officio

DE diuinis officijs hoc tenē
dū eſt ꝙ ꝗuis teneamur omni tpe laudare deū

precipue tenemur determinatis ꝫ ordinatis ab eccleſia
qꝛ in ipſis horis precipue magna ⁊ mirabilia digna-
tus eſt facere ⁊ pati. Et ſūt hore ſeptē in quibꝫ debemꝰ
laudare ipſū deū ⁊ beatā virginē mariā. Primo debe-
mus ipſū laudare in matutinis. qꝛ tali hora naſci vo
luit pro ſalute humani generis ⁊ etiā tali hora a iuda
fuit traditus ⁊ a miniſtris iudeorū vinctus ⁊ captus.
et a diſcipulis derelictus ⁊ ad principes iudeoꝝ ductꝰ
Itē in hora prima debemus ipſū collaudare. quia tali
hora reſurrexit a mortuis et apparuit marie magdale
ne. Itē debemus ipſū laudare in tercia nā tali hora fu
it ligatꝰ ad colūpnā ⁊ flagellatus vſqꝫ ad effuſionē
ſanguinis iudeis clamantibꝫ. Crucifige crucifige. Itē
qꝛ in tali hora miſit ſpiritū ſanctū diſcipulis ſuis ī die
penthecoſten. Itē debemus ipſū laudare in hora ſexta
qꝛ tali hora crucifixus eſt pro ſalute mundi. Itē debe-
mus ipſū laudare in hora nona. qꝛ tali hora fuit lance
atus ⁊ de latere ſuo exiuit ſanguis ⁊ aqua. ⁊ ī tali ho-
ra emiſit ſpiritū clamans voce magna hely. hely. De
bemus ipſū laudare in veſperis. qꝛ tali hora fuit corpꝰ
ſuū depoſitū de cruce. Itē debemus ipſū laudare in cō-
pletorio. quia illa hora ſuū ſanctiſſimum corpus fuit
poſitū in ſepulcrū. Itē debemus ī eiſdē laudare beatam
virginē mariā. Primo in matutinis. qꝛ tali hora appa
ret quedā ſtella que vocatur trāſmontana cuiꝰ ductu
naute perueniunt ad portū ⁊ ipſa dña noſtra eſt ſtella
trāſmōtana qꝛ ſi digne laudamꝰ eā ducit nos ad por-
tum ſalutis qui ſumus in hoc ſeculo. Itē debemus ipſā

laudare in prima qꝛ tunc apparet quedā ſtella q̄ voca
tur dyana poſt q̄ ſequit̄ ſol et ipſa dn̄a noſtra eſt vera
ſtella dyana q̄ portauit nobis verū ſolē criſtū qui il
luminat totū mundū. Itē ipſam debemus laudare in
tercia nā in tercia hora cōſueuerunt fameſcere pſone. et
ipſa dn̄a portauit verū panē ſcilicet criſtum cū quo eſt
noſtra ſocietas. Itē debemus ipſam laudare in ſexta ho
ra quia tali hora ſol magis feruet ꝛ calefacit. Et ipſa
laudanda eſt ꝛ roganda. ut calefaciat nos frigidos
in caritate p ſolē ſcilicet criſtū quē genuit Itē debem9
ipſam laudare in nona quia tali hora ſol declinat ad
occaſū ꝛ ipſa dn̄a noſtra iuuat ꝛ protegit nos cū decli
namus ad occaſū id eſt ad ſenectutē. Itē debem9 ipſam
laudare in veſperis. quia tunc incipit dies finiri. Et
ipſa domina noſtra defendit laudatores ſuos iuxta fi-
nem mortis. Item debemus ipſam laudare in comple
torio. nā tali hora dies cōpletus eſt ꝛ domina noſtra
in cōplemento vite noſtre. hoc eſt in morte intercedit
pro nobis. et faciat nos recipi in eterna tabernacula
vbi eſt cōplementū electorū. De tpe lxx

De tpe ſeptuageſime ſciēdū ē q̄ illud tpus ſeptu
ageſime repreſentat nob̄ iſtud tpus i q̄ filij iſrl̄
ſteterūt i captiuitate ꝛ ſeruitute in Babilonia p lxx.
annos ꝛ ſic ſtabāt ī triſticia ꝛ dolore et ita dimiſerūt
cātica leticie dicentes. Quō cantabimus canticū do-
mini in terra aliena ita ꝛ nos a ſeptuageſima uſqꝫ ad
paſca reſurrectionis dimittam9 cantica gaudij ſcilicet
alleluia quod habet ſignificare in ffabile gaudium.

Itē dimittimus cātica leticie ſcilicet. Te deū laudamꝰ in matutinis . et gloria in excelſis in miſſa q̄ ſūt cantica leticie. Itē in ſignū triſticie in tota ſeptuageſima ꝓhibent fieri nuptie . vnde in toto tꝑe ſeptuageſime homines nō debent ducere vxores ⁊ hoc fit in ſignū triſticie . Et notandū ꝙ a dominica ī paſſione uſqꝫ ad ſabbatū ſanctū cooꝑiūtur cruces ⁊ velant̄ ad ſignificandū ꝙ ex tūc fuit diuinitas abſconſa ⁊ velata ī criſto. vnde dimiſit ſe capi ⁊ flagellari ligari ⁊ ocadi a iudeis tanꝗ̄ eſſet prauus homo. vnde ipſa die ſcilicet dominica paſſionis legit̄ in fine euangelij . Jheſus aūt abſcondit ſe ⁊ exiuit de templo et tūc debent cooperiri et velari cruces quaſi dicat id eſt virtus diuinitatis. Itē ab eadē dominica paſſionis uſqꝫ ad ſabbatū ſanctum. nō dicit̄ gloria patri in verſiculis ⁊ reſponſorijs quibus incipit criſti paſſio. nā ab illa hora in antea iudei feruentiſſime ⁊ crudeliſſime ceperūt criſtū ꝑſequi. Et qꝛ gloria patri eſt ordinatū canticū ad laudē ⁊ honorē beatiſſime trinitatis . et ſic in paſſione criſti tota trinitas iniuriari ⁊ moleſtari videtur hoc eſt ꝙ in verſibꝰ ⁊ reſponſorijs ꝑ quos ſignant̄ opa noſtra ſcilicet cantica oris ⁊ laudis ⁊ ꝑ totū tempus paſſionis criſti eccleſia recipit eadē racōne nō dicitur gloria patri in cātico triū puerorꝫ. nā qꝛ illi tres pueri colebāt ⁊ adorabāt trinitatē ideo iniuriā ⁊ moleſtiā faceremꝰ trinitati. Et ꝓpter hoc in cantico ſcilicet. Benedicite omnia opa dn̄i dn̄o nō dicitur gloria patri ad honorem eiuſdem trinitatis . De officio [illegible] an̄ paſca

De officio lamentacōnū qd̄ fit p̄ tres noctes ante paſca Sciēdū eſt ꝙ ille tres noctes repreſentāt nobis illas tres horas tenebraꝝ q̄ fuerūt ī morte dn̄i• vn̄ dicit math• dū criſt9 ēet ī cruce a ſexta hora uſqȝ ad horā nonā facte ſūt tenebre ſup terrā et ſic nos repreſentam9 illas tres horas p̄ tres noctes in quib9 facim9 officiū de nocte in tenebris ī illis trib9 dieb9 nō pulſātur cāpane ad inuocādū pp̄lm ſ3 pulſāt tabule lignee hac racōe q2 cāpane habēt figurare predicatores • et in morte criſti nullus inueniebat q̄ predicaret v̄bū dei• Ap̄li aūt q̄ predicare ꝯſueuerāt ⁊ cōuocare pp̄lm ad fidē criſti nō predicabāt tūc ẏmo reliquētes eū fugerūt et negauerūt pp̄lo ſicut beat9 petrus et ſic ī morte criſti nō predicauerūt predicatores ſ3 fugerūt tūc cāpane q̄ ſignāt predicatores tacent ⁊ nō pulſant̄ ſ3 tabula lignea q̄ ſignat criſtū q̄ erat crucifixus ī ligno crucis Et ſtādo in ligno predicabat ⁊ orabat p̄ crucifixorib9 ſuis dicēs Pater dimitte illis hoc peccatū• q2 neſciūt qd faciūt et q2 tūc null9 fuit inuētus q̄ predicaret • Sed ipſe criſtus qui pendebat in ligno • Ideo conuocatur populus cum tabula et non cum campana • Item in illo officio omnes candele ⁊ om̄ia luminaria eccleſie extinguentur• vna tantum candela non extinguitur ſed abſconditur• et poſtea cōpleto officio propalatur et de eius lumine omnia luminaria reaccenduntur• Racio huius eſt quia luminaria que reaccendantur figurant populos ⁊ alios predicatores• q̄ conſueuerūt predicare et illuminare mūdū p̄ ſuas predicaciones•

Et hoc fuit q2 in morte cristi omnes dubitauerūt ꝛ ex
tincti fuerunt lumīe fidei. Nā in morte cristi nec ī apo
ſtolis nec in alio hoīe de mūdo remanſit fides criſti ni
ſi in ſola virgine maria. Et hinc eſt ꝙ luminaria eccle
ſie extinguūtur Cādela aūt q̄ nō extinguit ſ; abſcōdit
figurat criſtū q̄ licet videretur mortuꝰ ꝛ extinctus ſm
humanitatē erat tamē viuus ſm diuinitatē que nō po
tuit mori nec pati. tamē ipſa diuinitas erat occulta et
abſconſa alijs hoibꝫ. ꝛ ideo vna candela abſcondit.
et expleto officiō ab iſta cādela abſconſa oīa lumina
ria eccleſie accendūtur quia poſt mortē criſti ipſe re:
ſurgens cū corpe glorificato ꝛ luce clariſſima ꝑpala:
uit ꝛ manifeſtauit ſe diſcipulis ſuis. et oēs qui fue
rant extincti in paſſione ꝑ reſurrectionē eius reaccen:
ſi et illuminati fuerunt ab ipſo lumīe vere fidei. Item
in hoc officio nō dicit deus in adiutoriū meum intende
qd eſt principiū oīum oracōnū. Nec in lectionibꝫ dica
tur Jube dn̄e benedicere. nec ī principio nec in fine di
citur Tu aūt dn̄e miſerere noſtri. Nec dicit in fine be:
nedicamus dn̄o qd eſt finis omniū oracōnū. Et ſic vi
detur officiū viduatū et mortificatū qd nō habet prin
cipiū neqꝫ finē. Racō eſt. q2 criſtus eſt alpha et o id ē
principiū et finis omniū noſtrum nobis acceptus eſt
mortuꝰ ē et ita cū nō habemus ipſū criſtū qui eſt prin
cipium et finis ideo in hoc officio nō habemus princi:
piū nec finē. Itē quia ipſe dn̄s et pater noſter qui cō:
ſueuit nobis benedicere et a quo petebamus adiutori
um et miſericordiā. modo mortuus ē et ſic nō habemꝰ

paſtorē q̄ benedicat nobis nec deū quē petebamꝰ dicē
do Deꝰ ī adiutoriū ⁊c̄ nec tu aūt dn̄e Itē qꝛ poſt mor
tem criſti patres noſtri fuerūt viduati ideo iſtud offici
um videt̄ viduatū ⁊ mortuū Itē in hoc officio ꝓplꝰs fe
cit magnū tumultū ⁊ clamorē ad ſignificādū tumultū
et clamorē iudeoꝝ qn̄ cōprehenderūt iheſū Itē die ve
neris altaria denudant̄ ⁊ expoliant̄ ꝓprijs veſtibꝫ . qꝛ
criſtus nudus ī cruce fuit poſitus Itē ipſa die eccleſia
orat ꝓ oībꝫ qui ſunt ī mūdo quia criſtus orauit pro
omībꝫ in cruce. Itē ſabbato ſancto extinctus eſt ignis
vetus ⁊ de lapide focario nouus ignis excutitur Racō
eſt hec qꝛ vetus ignis ſignificabat legalia veteris teſta
menti ſicut fuerat circūciſio ⁊ immolacō agni ⁊ vituli
que omnia in paſſione dn̄i ceſſauerunt ⁊ fuerūt extin
cta Nouus ignis qui excutitur figurat nouam legem
ſcilicet euāgeliū Et legem qui illuminat ⁊ accendit to
tū mūdū et excuſſa fuerūt et proceſſerūt de petra id ē de cri
ſto qui dicit̄ petra ꝓpter firmitatē fidei Cereꝰ nouus q̄
fit ipſa die ⁊ accendit̄ ſeu illumiat̄ figurat criſtū q̄ re
ſurrexit a mortuis cū carne gloſa et apparuit verꝰ ſol
q̄ illumiat omnē mūdū

De ſignificacōe indumentoꝝ ſacerdotū

DE ſignificacōe indumētoꝝ ſacer
dotū ⁊ de alijs ſignis q̄ fiūt p ſacdotē miſſā cele
brantem . ſacerdos autem quando parat ſe ad miſſā
dicendā. Primo ſe calciat et hoc precipit apl's . Calci
ati pedibꝫ in preparacione euangelij pacis per calcia
menta que fiunt de pellibus animalium mortuorum
calcāt terram ⁊ ſunt clauſa deſubtus et aperta deſuper

Significat ꝙ ſacerdos debet eſſe mortuus mūdo ⁊ de
bet habere cor clauſum ad iſta terrena ⁊ calcare ipſa ⁊
vilipendere ipſa tanꝗ̄ lubrica ⁊ debet habere cor apertū
ad contemplandū et deſiderandū celeſtia· Amictus qui
cingit et cooperit pectus ſignificat iuſticiā et ſapientiā
que debet eſſe in pectore ſacerdotis ut ꝑ iuſticiā velit et
ſciat ꝑ ſapientia vnicuiqꝫ reddere qđ ſuū eſt· Alba ca:
miſia q̄ ſe induit ſignat albedinē et iuſticiā caſtitatis
Cingulū qđ ſtringit lūbos in quibꝫ viget luxuria · ſi
gnificat ꝙ ſacerdos debet reſtringere motus luxurie et
ſeruare caſtitatē in corpe ſuo· Mampulus qui in ſini
ſtra manu ponitur ad tergendū oculos ſignat ꝙ ſacer
dos debet vigilare cōtra inſidias diaboli et debet abſter
gere oculos ab accidia· Stola q̄ in humeris portat
in quibꝫ maxime ſūt vires hoīs· ſignificat ꝙ ſacer:
dos debet habere fortitudinē et cōſtantiā in tribulacōni
bus· Longitudo ſtole ſignat pſeuerātiā ꝙ ſacerdos de
bet pſeuerare in hijs operibꝫ uſqꝫ ad finē mūdi · In eo
aūt ꝙ ſtola angulo iungit et vnitur ſignat ꝙ virtu
tes debent eſſe vnite in ſacerdote· Planeta q̄ eſt ampla
et ſuperponit omnibꝫ veſtibꝫ ſignificat caritatē que ſu
perat omnes virtutes et debet eſſe ampla et extenſa et in
ſacerdote debet eſſe caritas nō tantū ad diligendū ami
cos verꝫ etiā inimicos· Mitra epiſcopi q̄ habet duo cor
nua ſignat ꝙ epiſcopus debet habere ſcientiā duorū te:
ſtamentorꝫ ut om̄i tēpore ſciat reddere racionē· Annu
lus quē portat epiſcopus ī manu ſua ſignat fidem ꝙ̄
debet tenere in eccleſia ſua et ad ſignificandum ꝙ debet

mōſtrare fidē in opib⁊ Baculus ſiue fuſcīs epiſcopi ē in principio recurru⁹ et reflexus in medio ē erect⁹ in fi-
ne eſt acutus Prima pars q̄ ē curua ſignat ꝙ epiſcop⁹ debet trahere ⁊ colligere curuātes hoīes moītis exhorta
cōib⁊ Scda pars q̄ ē erecta ſignat ꝙ epiſcop⁹ debet ſu
ſtinere debiles ꝓuidēdo eis ī neceſſitatib⁊ Tercia pars
q̄ eſt acuta ſignat ꝙ epiſcop⁹ debet pungere ⁊ ſtimula
re pigros ⁊ negligētes Sacerdos aūt ornamētis in
dutis vadit ad altare poſtea ponit ſe ī dextra parte al-
taris ⁊ cleria q̄ ſūt ī choro cantāt officiū Racō ē nā ſa
cerdos ſignat criſtū altare ſignat ꝑplm gentilē id ē pa
ganoꝝ ſicut eram⁹ nos ante aduentū criſti Cleria cā
tātes officiū ſignant ꝓphetas ⁊ p̄res veteris teſtamenti
et ideo ſacerdos paramentis indutis ſignat criſtū veſti
tū humanitate carnis noſtre. Quādo ſacerdos vadit
ad altare ſignat ꝙ criſt⁹ venit de celis ad populū. ut
ipſū ſaluaret Quando ſacerdos oſculat̄ altare ſignat
ꝙ criſtus dedit nobis oſculū pacis et purificauit nos
deo Quando ſacerdos ponit ſe in dextra parte altaris.
ſignificat ꝙ criſtus veniens in hunc mundum primo
venit ad iudeos quia de iudeis naſci voluit. nam bea-
ta maria virgo iudea fuit Quando cleria cantāt offi
cium in choro ſignant ꝓphetas ⁊ ſapientes veteris te-
ſtamenti qui cottidie clamabant et deſiderabant aduē-
tum criſti. Itē quando cleria iterant officium ſignant
ꝙ ipſi patres ⁊ prophete iterum ⁊ iterum clamabant
ad criſtū Kyrieleyſon criſteleyſon kyrieleyſon ſequi
tur. et dicitur nouem vicibus per triplicacionem.

ad ſignificandũ ꝙ om̃is laus noſtra debet referri ad
trinitatẽ· nã kyrieleyſon tantũ eſt dicere ꝗ̃tũ lauda:
te deũ· In eo ꝙ dicit nouẽ vicibꝫ petimus ⁊ rogamuſ
ipſam trinitatẽ ut faciat nos ſocios nouẽ ordinibꝫ an
gelorũ· Poſt kyrieleyſon ſacerdos incipit ĩ medio al
taris Gloria in excelſis deo· ad ſignificãdũ ꝙ criſtꝰ
mediator inter nos ⁊ deũ ꝑ cuiꝰ mediacõnem ⁊ arbi:
triũ ipſi deo pacificati ſumus· Poſtea ſacerdos conuer
tit ſe ad populũ dicens· Dñs vobiſcũ ad ſignifican:
dũ ꝙ criſtus ſalutauit diſcipulos ſuos · Poſtea dicit
vnam oracõnem propter vnitatem fidei vel tres ꝓpter
trinitatem vel quinqꝫ propter quinqꝫ ſtigmata criſti·
vel ſeptem ꝓpter ſeptem dona ſpiritus ſancti· Dictis ve
ro oracõnibꝫ dicitur ep̃la· et ſignificat predicacionẽ be
ati Johannis baptiſte· et quia predicacio eiuſdẽ iohã
nis baptiſte fuit ante predicacionẽ criſti ideo ep̃la di:
citur ante euangeliũ· Dicta aũt epiſtola ſacerdos di
mittit dextrã partẽ altaris ⁊ vadit ad ſiniſtrã ut dicat
euangeliũ· et ſignat ꝙ criſtus dimiſit iudeos quia no
luerũt eũ recipere nec predicacionẽ eius audire· et ve:
nit ad partẽ ſiniſtrã id eſt ad gẽtiles ⁊ paganos ſicut
eramus nos ⁊ credamus ei ⁊ predicacionẽ eius recipi
mus ſcilicet euangeliũ· Quando ſacerdos incipit euã
geliũ omnes qui audiũt debent ſtare erecti ⁊ facere ſi:
bi ſignũ crucis ⁊ diſcooperire capita ſua· nã quando
audimus euangeliũ ſtamus erecti ad ſignificandũ ꝙ
ſola lex euangelica dirigit nos ad celũ qñ diſcoope
rimꝰ capita nr̃a ſignat ꝙ lex euangelica diſcooperuit

et nouit omĩa velamĩa veteris teſtamẽti nã ea q̄ vetus lex dicebat erãt ſub vmbra ⁊ obſcuritate Lex vero no ua id ē euãgeliũ dicit̄ ĩ luce ⁊ ĩ manifeſto nã vetus lex dicebat ꝙ immolaret agnꝰ ꝓ peccato hoĩs · ⁊ hoc erit occultũ ⁊ velatũ · qñ eñ facta fuit lex euãgelica remo uit illud velamē et declarauit ꝙ agnꝰ q̄ occidebat̄ pro peccõrib; ſignat criſtũ q̄ erat immolandꝰ et occidendus ꝓ peccato huãni generis et ſic de alijs In principio e= uãgelij faciamꝰ nob̄ ſignũ crucis ⁊ debet fieri ĩ frõte ore et pectore fit ſignũ ĩ fronte ut ex hoc oſtẽdamꝰ credere criſtũ crucifixũ ſine aliq̄ verecũdia ⁊ cõtra legē et fidem iudeoꝝ Judei aũt reputabãt et hodie reputãt ſibi ma= gnũ vituperiũ credere in criſtũ natũ ex maria v̓gine ⁊ tenere et ſequi legē euãgelij et fidē ſ; nobis nobile et ho norabile ē et ideo ſignamꝰ nos ĩ fronte ĩ q̄ ē locus pu doris et verecũdie q̄ſi dicamꝰ publice portamꝰ et ꝯfite= mur fidē criſti ſine aliq̄ verecũdia et pudore Fit ſignũ in ore · ad ſignãdũ ꝙ de v̓bis euãgelij dicit̄ ēe locucõ nēa Fit eñ ĩ pectore ſignũ crucis ad ſignãdũ ꝙ verba euãgelij debent nos percutere in pectore ⁊ in mente no ſtra · Sacerdoss quando incipit euangelium ſignat librum quaſi dicat · Hic eſt liber crucifixi · In fine euangelij · omnes ſtantes faciunt ſibi ſignum cru cis · Et eſt armarium ſiue armiger contra dyabolum · ne veniant contra nos ⁊ rapiunt verbum de corde no= ſtro · Et nota ꝙ ſignum crucis exprimit aduentum criſti in hunc mundum · Aſcenſionem in cruce · Et deſcenſionem ad inferos · Et aſcenſionem ad deum ·

Cū em̄ facim⁹ ſignū crucis debemus incipere a capite et
trahere manus ad pect⁹ ⁊ ī hoc ſignat ꝙ filius dei pro
cedit a pr̄e id ē a deo pr̄e q̄ eſt principiū om̄iū rerū et
deſcendit ad pect⁹ id ē ad filiū id ē ad immundū vbi
fuit paſſus mortu⁹ ꝑ ſalutē noſtra · Poſtea portamus
manū ad ſiniſtrā partē ad ſignificandū ꝙ criſt⁹ reſur
gens a mortuis prius iuit ad inferos ꝙ deſignat ꝑ ptē
ſiniſtrā ⁊ ex inde traxit ſanctos pr̄es q̄ fuerūt in limbo
Poſtea ꝑ caſus manū ad dextrā ad ſignificādū poſtq̄
criſt⁹ exſpoliauit infernū aſcendit in celū ⁊ ſedet ad de
xterā pr̄is · Finito euangelio ſacerdos recipit thuribu-
lū cū igne ⁊ incēſo ⁊ ſuffumigat altare · thuribulum
qd̄ eſt deſup foratū ⁊ deſubter clauſū ſignificat cor no
ſtrū qd̄ debet eſſe clauſū deſubter ne reſpiciet vel deſide-
ret terrena · pforatū debet eſſe deſup ad ſignificādū ꝙ ce
leſtia ſūt recipienda · Ignis ē int⁹ in thuribulo ſigni
ficat caritatē noſtrā q̄ debet eſſe ī corde noſtro incenſū
qd̄ ardet in igne ⁊ redolet ſignat oracōnē q̄ debet eſſe ī
corde noſtro ⁊ debet redolere ꝑ deuocōeꝫ vn̄ pſalmiſta
Dirigat oracō mea ſicut incenſū in cōſpectu tuo · Po-
ſtea dicitur ſecreta ⁊ vocat ſecreta qꝛ dicit ſecrete · anti
quitus em̄ ſecreta dici cōſueuit alta voce ⁊ ſic ex cotti
diano vſu paſtores didicerūt ipſā ī mente ⁊ cātabāt
eā in campis · accipiebāt em̄ panē ⁊ ponebāt ſup la-
pidē ⁊ incipiebāt dicere ⁊ cantare ſecreta diuina pmiſ
ſione factum ē ꝙ ille panis cōuerſus eſt in carnē ⁊ pa
ſtores graui vindicta puniti ſunt a domino · vnde fu-
it ordinatū ab illa hora ne ſecreta diceretur alta voce

ſed plane ⁊ ſecrete · Poſt ſecretam ⁊ prefacionem dica-
tur Sanctus ſanctus ſanctus ⁊c̄ Et dicatur tribus vi
cibus ſanctus ad honorē beatiſſime trinitatis ⁊ petim⁹
ab ipſa ſaluari in excelſis et iungi nouem ordinib⁹ an
gelorū nominatis in prefacione Poſtea abſconditur
patena exiſtens res rotunda non habet principium ne
q̧ finē ⁊ in hac patena ſignat̄ diuinitas q̄ nō h̷ȝ prin
cipuī neq̧ finē habebit · Quō patena abſcondit̄ ſignat
q̧ diuinitas eſt nobis abſconſa id eſt velata · Quādo
patena manifeſtat̄ cum incipit ſacerdos oracōem Pa-
ter noſter ſignat q̧ quādo veniem⁹ ad patrem noſtrū
qui eſt in celis tunc diuinitas q̄ eſt abſconſa ⁊ velata
in iſto mundo manifeſtabit ſe nobis ſicut eſt ⁊ videbi
mus ipſā ſicut eſt · Poſt pater noſter diuidit corpus
ſacroſanctum criſti in tres partes et duas partes ponit
in patenam · aliam vero ponit in calicem · et admiſcet̄
cum ſanguine · ad ſignandum q̧ corpus criſti ſumi-
tur ad gloriam illorum qui ſunt in hoc mundo · Nā
vna illarum parcium que ponitur in patena · ſumi-
tur ad honorem ſanctorum qui ſunt in gloria · Alia
vero pars ſumitur pro illis qui ſunt in purgatorio ·
ut citius expurgentur et liberentur · Tercia enim pars
que mittitur in calicem et miſcetur ſanguini ſumitur
pro nobis qui ſumus ſepulti in miſeria huius mun-
di · ut per ipſam iuſtificemur et liberemur a peccatis
noſtris · Agnus dei dicatur tribus vicib⁹ ad honorē
trinitatis Miſit enī ad nos agnū immaculatū ihesum
criſtū qui redemit nos a peccatis nr̄is ī ſanguine ſuo

In eo aūt q͛ inuocamus illū agnum tribus viabus datur intelligi q͛ tribus viabus debemus ipſum rogare ſcilicet ut dimittat nobis peccata noſtra iuuet nos et manu teneat ne cadamus amplius in peccatū ⁊ p̄ducat nos in vitam eternam vbi eſt ſumma pax in q̄ nemo poteſt peccare. Et dicimus primo Agnus dei ⁊c̄ iuuando nos ⁊ manu tenendo id eſt dimittendo peccata noſtra. Secundo dicimus agnus dei iuuando nos ⁊ manu tenendo ut nō cadamus ī peccatum. Tercio dicimus agnus dei ⁊c̄ dona nobis pacem ſcilicet p̄duc nos ad pacem vite eterne vbi nemo poteſt peccare. Tunc ſacerdos redit ad dextram partem altaris ad ſignificandum q͛ in fine mundi poſt mortem anticriſti iheſus redibit ad iudeos. nō eīm propter eos criſt⁹ relinquet nos quoniā nos ⁊ iudei erimus vnū ouile et vnus paſtor ipſe erit. In fine miſſe ſacerdos licenciat populū dicens Ite miſſa eſt quaſi dicat. non eſt ſtandum in hunc mundū ſurgite et ambulate ſ3 debemus ire in vitam eternā per bona opera ⁊ hoc poſſumus facere leuiter quia miſſa eſt hoſtia per quā liberati ſumus a ſeruitute dyaboli. Janua vero paradiſi aperta eſt. Poſt hec ſacerdos benedicat populū ⁊ tunc vnuſquiſq3 debet ſibi facere ſignū crucis ⁊ ī principio cuiuſlibet hore quando dicitur deus in adiutorium meū intende. Itē in fine cuiuſlibet hore debemus dicere deus det nobis ſuam pacem ⁊ vitā eternam amen Pater noſter Aue maria. Item in omnibus pſalmis ſumptis de euangelio ſcilicet Magnificat anima mea dominum. Debemus

nobis facere ſignum ſancte crucis. Iſtum pſalmum fe
cit beata virgo quando fuit declarata conceptio filij
dei in ipſa. et eſt ſumptus de euangelio Luc. Item in
principio pſalmi ſcilicet Nunc dimittis Iſtum pſal-
mum fecit Symeon ille ſanctus. qui in purificacio
ne recepit criſtum in brachijs ſuis Et eſt de euāgelio
beati Luce pſalmus iſte. Item debemus nobis facere
ſignum crucis in fine iſtius ymni ſcilicet gloria in ex
celſis deo. Iſtum ymnum cantauerant angeli in na-
tiuitate criſti. Et eſt de euangelio beati Luce. Simili
ter et in principio et in fine cuiuſlibet euangelij debe-
mus nobis facere ſignum ſancte crucis et in fine pater
noſter. Nam iſto ordine docuit criſtus diſcipulos ſu
os et ſcripta ſunt in euangelio beati Mathei. Item in
fine Agnus dei ꝛc. et ſicut ſtam⁹ erecti qn̄ dicit euāge
liū ita oīa iſta debem⁹ dicere ꝛ audire erecti. Itē ſacer
dos nō debet dicere niſi vnā miſſā in die niſi neceſſitas
immineret In natiuitate dn̄i noſtri ihesu criſti. ꝓpter
ſolemnitatē diei ſac̄dos dicere poteſt tres miſſas ꝛ debet
dicere vnā ī nocte aliā ī aurora et aliā ī tercia et ille
tres miſſe repreſentant tria tempora p q̄ decurrit totus
mundus ſcilicet tempus legis nature tpus ſcripture
et tpus gracie. Prima miſſa que dicitur de nocte repre
ſentat tempus nature. quod fuit ab adam uſqꝫ quo
fuit data lex moyſi. quia illo tempore hoīes ambula
bant quaſi in nocte et in tenebris quia non habebant
aliquam noticiam de aduentu criſti. et ideo conſueuit
dici illa die in miſſa prophetia ſcilicet Populus gētiū

Vnuſquiſq; tamen habebat legē nature in corde que erat talis. Quecunq; vultis q̄ vobis faciūt homines et vos facite eis. Secunda miſſa que dicitur in aurora repreſentat nobis temp9 legis date moyſi uſq; ad ad uentum criſti et in hoc tempore gentes ceperunt eſſe ſa⸗ pientes et illuminari per legem de aduentu. et ideo cā⸗ tatur in illa miſſa Lux fulgebit. Tercia miſſa que dicia tur in tercia. repreſentat tempus gracie in quo ſumus modo quia magna gracia fuit quando deus pater mi⸗ ſit filium ſuū pro ſalute noſtra. et ideo cātatur in illa miſſa Puer natus eſt nobis quaſi dicat. Iſtud temp9 eſt magne gracie in quo filius dei eſt datus nobis de gracia. Itē die ſabbati magis q̄ in alijs diebus oram9 beatam virginem glorioſā ſiue per ieiuniū ſiue ꝑ offi cium. Racio eſt quia dies ſabbati ſpecialiter appropria tur dn̄e noſtre quia per totum diem ſabbati ſancti ipſa dn̄a retinuit vniuerſalem fidem criſti in corde ſuo. q2 poſt mortē criſti omnes apoſtoli dubitauerunt et per diderunt fidem criſti ſcilicet q̄ ipſe fuerit filius dei viui et q̄ non reſurgeret. vnde in die ſabbati ſancti nullus inueniebatur nec diſcipulus nec apoſtolus qui crede ret q̄ criſtus reſurgeret ſed ſola virgo dn̄a noſtra nō dubitauit. ſciebat enim quomodo ipſum portauerat ſine dolore et ꝑperit ſine dolore. et ideo erat certa q̄ e⸗ rat fili9 dei et q̄ debebat reſurgere a mortuis die tercia Et eſt vna racio quare ſabbatum appropriatur domi⸗ ne noſtre magis q̄ alij dies. Alia racio eſt quia dies ſabbati eſt ianua ⁊ introitus ad diē dominicum. vnde

cum ſumus in die ſabbati ſumus iuxta diem dominicū Dies autem dominicus eſt dies requiei et ſignat vitā eternam. Unde cum ſimus in gracia domine noſtre ſumus in ianua paradiſi dies veneris appropriatur cri ſto quia illa die mori voluit pro ſalute humani generis qui viuit et regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Explicit ſumma breuis ⁊ vtilis ſup diuerſis cōpoſita
Incipit ſumma penitentie breuis ⁊ vtilis.

## Sūma penitencie

SCiendum eſt ꝙ ſacerdos debet aliquem breuem ſermonem tanquā prohemium omni venienti ad confeſſionem ad excitandum eius deuocionem. et ad exortandum eum ut non erubeſcat. debet oſtendere penitenti ꝙ tam habeat virtutem confeſſio. quia ipſa eſt ſecunda tabula poſt naufragium. Fracto autem fe dere baptiſmi nullum reſtat remedium niſi confeſſio. Mortale autem peccatum eſt quaſi venenum mortiferum in anima quod oportet euomere per confeſſionē ad hoc ꝙ ſanetur anima. quia vero Judas noluit euomere peccatum ſuum per humilem confeſſionem emiſit animam per viſcera ſub foſſa. quoniam ſuſpenſus crepuit medius. Si enim humiliter confeſſus eſſet et veniam petiſſet deus cum eo miſericordiam feciſſet. Similiter cum adam peccauit voluit abſcondere ſe ⁊ peccatum ſuum a deo, vocauit eum dominus ad penitentiam dicens Adam vbi es. Ille autē noluit confiteri ſed voluit ſe excuſare dicēs ꝙ mulier quā dediſti michi dedit michi comedere. ſi humiliter veniam rogaſſet

ſine dubio eā dediſſet· quia maior eſt miſericordia dei
q̄ omnia peccata que ſūt vel fuerunt vel eſſe poterunt
Sciendū eſt q̄ turpitudo peccati euomenda eſt · quia
magna turpitudo peccati eſt maxima pars penitentie
⁊ circumſtancijs peccatorum· dicendum eſt penitenti·
ut confiteatur omnes circūſtantias ⁊ omnem turpitu
dinē peccati· q2 ſi aliqua pars peccati remanſerit iam
nō eſt cōfeſſio quia melius eſt erubeſcere corā vno ho:
mine q̄ in die iudicij corā omnib9 angelis hominib9 ⁊
demonib9· Itē dicendū eſt ei q̄ confiteatur oīa pecca
ta ſimꝉ ⁊ oīa ſuo ſacerdoti· Quia ſicut ait beatus au
guſtinus· Neſcit deus dimidiā dare veniā quia neſcit
dimidiā recipere penitentiā· Nec poteſt ſacerdos abſol:
uere aliquē ab vno niſi fuerit confeſſus de oīb9 nec
poteſt abſoluere aliquē de quo penitens nō fuerit con
feſſus · vnde ſi aliqđ peccatū celat nulla eſt confeſſio
vel abſolucio· Hec ⁊ alia ſimilia debet ſacerdos ꝓpone
re in principio quia valde indiſcretus eſt ſacerdos qui
incipit ex obrupto dicens· Dic peccata tua· Simili:
ter debet ſacerdos aliqđ molle ſiue dulce ꝓponere ante
q̄ pungat ⁊ debet dicere ita· Tu venis ad confeſſionē
pro cōſequendo oīū peccatorū ⁊ iniq̄tatū remiſſionē ·
quia ſicut ꝑ aquā mūdantur corpa ⁊ veſtimenta no:
ſtra a ſordib9 · Ita aīe noſtre ꝑ ſanctā confeſſionē mū
dantur a vicijs· Et ſi ꝑ eā vis habere remiſſionē pecca
torū prius dimitte oīb9 q̄ in te peccauerunt· et ſic re
cipiat deus tuā confeſſionē· Tunc ſi peccator dixerit·
dimitto oīb9 dicat ſacerdos · Credis q̄ per ſanctam

confeſſionē poteſt deus dimittere omnia peccata tua·
reſpondit· Credo ⁊ credit ꝙ ipſe ē de⁹ q̄ aſſumpſit car
nē de v̓gine maria ꝓ ſalute nr̄a Rn̄dit Credo· Credis
ꝙ mortuus⁹ē ꝓ nobis et reſurrexit ⁊ aſcēdit celos · et
nūc regnat ī celis vnus deus in trinitate id eſt pater
et fili⁹ ⁊ ſpūs ſanctus in tribus perſonis et vna ſubſtā
tia q̄ p ſanctū baptiſmū ꝑ ſanctā confeſſionē nos mū
dat a peccatis ⁊ ducat aīas nr̄as ad celos Itē cū penitē
tia cōſtat ex trib⁹ ſcilicȝ in cordis cōtricōe oris cōfeſſi
one ⁊ opis ſatiſfactione q̄ri debet a penitēte ſi dolet ſe
peccaſſe q̄ʒ ſine cordis cōtricōe nunq̄ꝫ remittitᷣ peccatū
Si dicat ꝙ dolet ꝓcedat ſi vero dicat ꝙ nō tanq̄ꝫ cō
tumax repellatᷣ Itē ſi dolet dicat ſacerdos tu vis cōfite
ri peccata tua habes tu ī volūtate ꝙ de cetero non pec
ces mortaliter inq̄ꝫtū poteris p dei graciā · ſi dicat nō
habeo dicat ei ſacerdos q̄ʒ cōfeſſio ſua nulla eēt Ita di
cat ſapiēs qui cōfeſſus fuerit peccata ſua ⁊ relinq̄rit ea
miſe̓diā cōſequetᷣ Intelligendū ē relinq̄re q̄ habet vo
lūtatē iterū peccata nō cōmittere Iterū dicat penitēti·
quia tria ſunt que faciunt hominem impediri in vera
confeſſione ſcilicet delectacio peccati timor penitētie in
iungende ⁊ pudor in cōfitendo ſed debet ſacerdos oſten
dere q̄ꝫ breuis ē delectacio peccati ꝓpter quā amittit pre
miū eterni gaudij cōtra timorē quē hȝ de penitētia debet
oſtēdere ꝙ niſi peniteat hoc peccatū punietᷣ eterna pena
ꝯtra pudorē debet oſtēdere ꝙ pudor eſt maxima pars ſa
tiſfactōis ⁊ ideo nō dimittat ꝓpter pudorē· q̄ʒ peccata
nō dicet hoīni ſed deo qui perſcrutatur corda et renes·

Dicat ergo in noīe dn̄i. Auditis oīb9 debet querere
ſi plura duxit in memoriā ſi dicat q̄ ſic dicat in noīe
dn̄i ſi dicat q̄ nō tūc debet ſacerdos ſupplere defectū cō-
fitentis. Juxta qđ ſcriptū eſt. Juſtus in principio ac
cuſator eſt ſui venit eius amicus ⁊ inueſtigabit eū Ju
ſtus eſt confitens qui primo debet accuſare ſeipſū. Po
ſtea amicus eius id eſt ſacerdos debet inueſtigare que
emiſit Qd ſit querendū a laycis

Si laycus eſt querendū eſt an ſit cōiugatus que
rendū eſt ſi ſit legittimū matrimoniū q̄ nō ſit
cōpaternitas vel affinitas vel aliqđ aliud impedimen-
tum. Si nō inueniat ita eſſe recurrat ſacerdos ad ar
chidiaconū vel ad epiſcopū. Itē querat cui9 officij ſit
et vtrū ſit maſculus vel femina videat ne habeat pon
dus ⁊ menſurā et ſi falſe menſurat tenetur reſtituere p
manus ſacerdotis illi quē decepit. ſi neſcit cui tenetur
inducat eccleſie vel pauperib9. De eodem

A Laycis querēdū ē generalit̄ de decimis q2
ſi male decimāt debent a rectore eccleſie petere ve
niam vel p ſe vel p aliū. A militib9 qđ ſit q̄rēd

A Militib9 querendū eſt maxime ab illis qui ha-
bent ſub ſe familias ſcilicet pauperes vel ſeruos
ſi habuerunt aliquid ab eis iniuſte quia deberet reſti
tuere. De criminalib9 pctīs qđ ſit q̄rēd

Querendū eſt de criminalib9 peccatis. circa muli
eres de veneficijs ſacrilegijs circa ſolutos ſi ve-
lint viuere cōtinenter quouſq3 habeat cōiugatas alio
quin nō valet confeſſio. querendū eſt a coniugatis de

peccatis que omiſerant ante matrimoniū ⁊ dicendum
eſt eis ꝙ ſecundū debitū nature debent vti ꝓprijs vxori
bus alioquin peccāt in matrimonio. De luxuria

Circa lubricii carnis inquirat aut sciuiſti illam
ad quā acceſſiſti eſſe ſolutā aut neſciſti ſi ſciuit
minor penitentia eſt iniūgenda ſi neſciuit maior quia
forte potuit ēē cōiugata monialis vel affinis vel a pa-
rentibꝫ cōiugata Itē meretrices ſolent ſe ſupponere le-
proſis et ita potuit eſſe periculū in partu et ī ꝓprio cor
pore Itē querendū eſt de numero ꝑſonarū ⁊ de vicibꝫ
ſi habent in memoria Itē ſi cū viduis q̄ ſūt eccleſiaſti
ce perſone ſi cū virginibus ſi cum cōiugatis ſi cū moni
alibus ⁊ ſi fuit benedicta quia tunc mittitur ad epiſco
pum quia epiſcopi tales fornicantes excomunicant
Si ad epiſcopū nō vult . eat ipſe ſacerdos ⁊ habeat
auctoritatem eius Item ſi acceſſerit ad cōſanguineos
vel affines et in quo gradu . ſi in puerperio . ſi in men
ſtruoſo ſanguine quia ibi eſt periculū propter prolem
quia ex corrupto ſemine naſcitur fetus corruptus. ſi cū
muliere propinqua partui quia tunc eſt periculū. poſ
ſet enim partus interfici ſi cum maſculis ſi cū iumentis
vel alijs aīalibꝫ Et hec penitētia iniūgat ꝙ de aīalibꝫ
illis pret aliā penitētiā q̄ debet iniūgi nūꝙ edat de car
ne illa. Et vt breuiter concludam quocūqꝫ modo ſe
mine ſeminatur niſi dormiendo vel cum propria vxo-
re et tūc legittime ſecundum exigentiam nature mor-
tale peccatum eſt. Et ſecundū diuerſitates circūſtantia
rū diuerſe ſunt penitentie iniūgende nō cōpetit omnes

inquiſiciones has circa omnes facere ꝫ ſcdm q deus in ſpirauerit debet ſacerdos inqrere Cōſenciētes aūt mortali peccato quodcūqꝫ ſit illud mortaliter peccat et tā grauiter aliquando ſicut et facientes. ſed ſi cōpetit reſtitucio et cōſentientes in dampnū debent reſtituere. cōſencientes fornicatori debent puniri pro mortali peccato ſiue ſit maſculus ſiue ſit femina. Circa crapulā et ebrietatē

Circa crapulā et ebrietatē querendū Circa crapulā attendūtur iſte circūſtantie ꝑpere nimis ardenter ſtudioſe. ꝑpere ut filius ſaul et ionathas qui ante hoſtiū in nacione comedit ut iudei in deſerto. qui peciērunt carnes a dño nō ↄtenti manna. Nimis ut ſodomite. Ardenter ut Eſau qui vilē rem ↄmedit ſcilicet lenticulas vendens ꝑpter eas ius primogeniture. Studioſe ut filii hely qui nimiū apparatū fecerunt circa cibos ſuos hoc vitandū eſt omi tpe et maxime in q̄dragesima. Que obſeruandū ſit i mensa

Hec ſunt obſeruanda in eſca vel menſa et ↄmemoranda ſunt hiis verſibus Sit timor ī dapibus benedictio lectio tempus. Sermo breuis vultus hylaris pars detur egenis Abſint delicie detractio crapula murmur Ebrietas nimius affectus et hyſtrionatus Finito qꝫ cibo reddatur gracia criſto. Iſte auctoritates operiuntur Timor eccāſt. ii. Jn timore dei ſint tibi conuiuia viri iuſti. Benedictio ut in euāglio. Benedixit fregit. Lectio. Gregorius ſuper Job. Ubi iob orauit pro filiis ſuis conuiuantibus ſemp ſolet epulis cōitari loquacitas et voluptas ideo cōtra loqͣcitatē ē ſilentiū

in refectorio cōtra voluptatem est lectio q̄ docet absti-
nētiā. Tempus est hora prandij sermo brevis Catho-
pauca loquere in cōuiuio vultus hylaris. Ad corin
theos hilarē ei datorē diligit deus Et poeta sup oīa
vultus accessere bini pars detur egenis Comedite pin
guia et bibite mulsū et mittite partes eis qui nō pre-
parauerūt sibi Absint deliciae Johānes vescendū est ad
reficiendū nō ad luxuriādū detractio Judith xi. Inter
epulas et pocula maledicebant amalech Crapulā at-
tendite vobis Ne grauentur corda vestra crapula et
ebrietate Murmur eccāst. primo. In nequissimo pa-
ne murmurabit ciuitas. Ebrietas ad epheseos Noli-
te inebriari vino in quo est luxuria ⁊c. Nimius affe-
ctus. Ecclesiastes Primo. Non te effundas super
omnem escam histrionatus. Sedit populus mandu
care ⁊ bibere et surrexerunt ludere. Reddat̄ gracia cri
sto Edent pauperes ⁊ saturabūtur Ebrietas si sit assue
ta mortale peccatū est vnde Apostolus. Ebriosi non
possidebunt regnum dei. id est assueti ebrietati. Cum
autem iudicant sapientes ebrium. qui propter exces-
sum potest incurrere perturbacionem capitis. vel sen-
suum insensibilitatem. ymmo dicunt quidam ꝙ eti-
am in tali casu vna ebrietas est mortale peccatum.
quando aliquis ex deliberacione postquam credit ex
pedire nature ẏmo pocius scit grauare naturam. su-
mit cibūm et potum cū immoderato excessu. Istud nō
audeo diffinire. Et notandū est ꝙ quilibet excessus cir
ca illicita nō ē mortalis ꝫ immoderatus vel frequens

vnde auguſtinꝰ in libro cōfeſſionis. Quis eſt qui me
tas neceſſitatis nō excedit aliquando. Generaliter in
omni cōfeſſione cōſiderande ſūt iſte circūſtantie q̄ notā
tur p hūc verſū. Quis qd vbi quibꝫ auxilijs cur quō
quādo. Quis cuiuſmōi pſona. ſi clericus vel laycus.
ſi clericus vtrū ſecularis vel religioſus. ſi in dignita=
te vel extra. ſi religioſus cuiꝰ ſit pfeſſionis. ſi iuuenis
vel ſenex. ſi ſeruus vel liber. Conſiderādū eſt genꝰ pecca
ti vtrū fornicacō ſimplex adulteriū vel inceſtus vel in
clericis qd genus peccati maxime aggrauat quantita
tem peccati. vbi in loco ſacro vel nō ſacro. Quibꝫ au
xilijs ſcientibꝫ vel impellentibꝫ. an ppria volūtate vel
alieno cōſilio vel admonicōem vtrū caſu vel deliberacō
ne multa etiā alia poſſunt inquiri. Cur eīn pter quē
finē. Solet eīn triplex eſſe finis. Vtilis honeſtus dele
ctabilis. Multi omittūt pter vtilitatē. multi pter de
lectacionē. nullꝰ pter honeſtatē. Quō mō diuerſi at
tendūtur circa diuerſa genera peccatorū de quibꝫ modꝰ
ſatis patet ꝛ maxime circa lubricū carnis p ea q̄ dicta
ſūt ibi maxime eſt neceſſaria inquiſicio. Quādo in q̄
tempore vtrū in q̄dragesima vel extra vtrū in diebꝫ feſti
uis puta in magnis feſtiuitatibꝫ. Tunc eſſet cōpetenſ
penitentia ut vigilias illiꝰ feſti ieiunet in pane ꝛ aq̄ ꝛ
maxime ſi peccauit in lubrico carnis. Qd ſit querend

Circa pſonam clerici. circa clericos
querendū eſt. an fuit de legittimo matrimonio
et libere cōdicionis ꝛ in quo ordine ſit ꝛ quō recepit
ordines vtrū legittime vel furtiue vel ſymoniace. Itē

ſi a ſuo epiſcopo ꝓprio ſi furtiue recepit Epiſcopus po
teſt diſpēſare cū illo niſi ſic dixerit Inhibem⁹ ſub pena
excomunicacōis ne aliq̄s accedat ad ordīes niſi legit
time preſentat⁹ In hoc ſolo caſu reputat Innocētius
teraus ēē excomunicacōem in alijs cōminatorijs nō.
et nō poteſt epiſcop⁹ diſpēſare cū eo ī hoc caſu nec cū
ſimoniaco niſi ſolus papa Itē q̄rat a clerico ſi ꝓpt dū
datū fuit ei beneficiū ⁊ ſi ꝓpter deū tenet ⁊ ꝓ ſalute aīaꝝ
ſi nō eſt ita purget aīam ⁊ ſiue ſimonia ingreſſus ē te
neat illud ſp tn̄ timeat qꝛ penitētie arbitrarie ſūt. nō
dam⁹ vob aliq̄s certas penitētias q̄s iniūgatis Scia
tis tn̄ ꝙ ſatiſfactio ꝯſiſtit ī trib; ī ieiunio oracōe ⁊ ele
moſina vn̄ thobias bona oracō cū ieiunio ⁊ elemoſi=
na Oracō ē q̄ſi auis q̄ volat ī altū ſi hʒ has duas ala
ſcilicet elemoſinā ⁊ ieiuniū volat cōtra oīa vicia car=
nalia ⁊ debet iniungi ꝓ carnalib; peccatis Oracio pro
ſpūalib; vnde Jero. Ieiunio ſanant peſtes corporis. ora
cōne peſtes mētis Elemoſina aūt valet ad oīa vnde
Daniel. Redime elemoſinis peccata tua ⁊ hec debet in
iungi pro oībus peccatis Videatis ergo ne ſitis in
ſipientes ſicut medici qui volūt vno collirio omnes
morbos ſanare. Non quod ſanat oculum ſanat cal=
caneum ymmo ſicut exhibuiſtis mēbra veſtra ſeruire
in iniquitatibus ad iniquitatem. Ita exhibeatis cor=
pora veſtra ſeruire iuſticie in ſanctificacionem. verbi
gracia. Si quis peccauit per os falſo placando. vel
falſo iurando. iniungatur ei oracio. Et ꝙ defendat
pauperes in cauſis honeſtis contra quos delinquit.

Itē ſi peccauit auare retinendo iniūgatur ei largitas elemoſinarū. Si peccauit male pugnādo cōtra inno centes iniūgatur ei q pugnet cōtra nocentes ſarrace nos vel hereticos. Si peccauit p renes iniungatur ei q ſtringat lūbos ſuos ieiunijs et abſtrahat a pabulis luxurie et ſic de oībus alijs. Et qz generale viciū ē gu la ſup aliqd de ieiunio vindicatur. Itē ſemp queratur ab oībus ſi ſint excomunicati vel p incendiū vel ppter pſecucionē alicuius religioſe pſone. Sunt caſus in q bus nō cadūt in canonē ſi pcuciant ſcilicet ſi minor fuerit qui pcutit. ſi iocoſe. ſi prelatus vel magiſter cor rigendo. ſi omīno depoſitus pcuciat. ſi vis repellat cū moderamine ī culpa tutele. ſi cū matre ſorore vel filia vxore turpiter inueniat. ſi ignorat clericū eſſe. ſi fue rit apoſtota. ſi negociator pſonarū eccleſiaſticarū ſco larium pcuracionē gerens. ſi ppter turbacionē diuini of ficij clericū ab eccleſia expellat. ſi de mandato prelati hoc faciat. ſi ferat arma in contumelia ordinis clericus pcuſſus. hic tamē diſtinctio eſt facienda. Itē in iſtis p cuſſor clerici nō abſoluit ab alijs q a papa. ſi hoſtia rius malignando clericū deſerit. ſi pcuſſor ſenex fuerit mulier impotens pauper cecus claudus. ſi ppter infir mitatem vel aliā cauſā papā adire nō poterit. Multe auctoritates dicūt q arbitriū ſacerdotis iniungenda eſt penitentia cōſideratis circūſtantijs ſcilicet qualitate quantitate dignitate. Itē pſone officio paupertate in firmitate et alijs multis de cauſis decente. que longū eſſet enumerare. vnde Leo papa dicit. Tpa puniendis

habita conſideracione conſtituenda. Et ſunt duo iudicia prout conuerſorum animas proſpexeris eſſe deuotos. Ut ergo ſciatis qualiter debeat procedere arbitriū ſacerdotis Notandum eſt ꝙ regulariter pro periurio adulterio fornicacione homicidio voluntario et ceteris vicijs criminalibus ſeptennis eſt penitentia iniungenda. hoc dicit canon et eſt Racio quia ſicut per peccatum ſeptiformis ſpiritus ſancti graciam amiſit. ita per penitentiam ſeptennem recuperet. Sed licet pro peccatis ſingulis talibus. ſit ſtatuta penitentia ſeptennis magis vel minus aſperſa debet imponi. prout maioritas vel minoritas criminis cum ceteris circumſtantijs ſic expoſcit. quia magis eſt cognoſcere ſororem vel conſanguineam ꝙ extraneam. Et magis peccatum eſt coniugatus fornicari ꝙ ſolutos et ideo maior eſt penitentia iniungēda. Publica ſit pena ſi fuerit publica noxa.

Expliat ſumma penitentie vtilis et breuis.

Incipiunt ſermones pro mortuis. Et primo pro pueris &c. pro mortuis de pueris

Sinite paruulos venire ad me. Talium eſt enim regnum celorum Mathei. Nota ꝙ tria ſūt genera paruulorum qui merentur regni gloriam poſſidere. Primo eñ dicitur paruulus per etatem qui nondum habet ſenſus exercitatos ad diſcrecionem boni et mali. Hij ſi decedunt tranſeunt ſtatim ad celum. cum nichil cremabile de humane vite cōtagijs ſecū portent

Et q cū baptiſmali innocētia trāſeūt de hac vita ideo
neqꝫ albis ambulare inter celorū agmina prohibent.
Apoc. Habes pauca noīa in ſardis qui non coinqui
nauerunt veſtimenta ſua ambulabūt mecū in albis.
quia digni ſūt id eſt amicti ſtolis albis ⁊ palme ī ma
nibꝫ eorū. Secūdo dicit quis paruulus ꝑ mentis hu
militatem. beatus qui ad hanc paruitatem peruenit.
Vnde geneſ. Loquor ad dn̄m meū cū ſim puluis et ci-
nis ad hanc paruitatē mittit dn̄s apl'os ſuos Luc. Cū
oīa benefeceritis dicite ſerui inutiles ſim⁹ Tales par
uuli venient ad glorie incrementū quia hoſtiū paradi
ſi breue eſt ⁊ nō ꝑ illud introire niſi paruulus. Luc.
Qui non humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte non in-
trabit ī regnum celorum. De hijs paruulis Math.
Ecce ego ⁊ pueri mei mecum ſunt in cubili meo. Ter
cio dicitur quis paruulus propter humilitatē ſimpli-
cem et cordis puritatē. pueri eñ habent purā mentem
et ſancti penitentes purā habent conſciētiā ab oīni ſor
de peccati. Talis erat apl's qui dicebat Gloria noſtra
hec eſt teſtimoniū ↄſcientie noſtre. Ad hāc puritatem
mittat nos yſayas. Lauamini mūdi eſtote auferte ma
lū cogitacōnū veſtrarū ab oculis meis. De ſenibus

Mortuus eſt dauid in ſenectute bona plenus diui
cijs ⁊ gloria In hijs verbis mors boni ſenis tri
pliciter ↄmendat. Primo a longitudine vite ibi in ſe-
nectute bona. Merētur eñ boni longo tempore viuere
ꝓpter honeſtatē cōuerſacōnem ⁊ mandatorū dei obſer-
uacionē. Exodi. Honora patrē ⁊ matrē tuam. ut ſis

non diu viuunt quia ſi diu viuerent diucius peccarēt
Et ſic amplius punirentur et ita in hoc miſericorditer
agitur cum eis Pſalmus · Viri ſanguinū et doloſi nō
dimidiabūt dies ſuos · Secundo laudabili diuiciarū
diſpoſicione ibi plenus diuicijs · non enim hic auare
congregabit diuicias · ſed eas pauperibus erogauit ·
Pſalmus · Diſperſit dedit pauperibus ⁊c̄ · Non enim
diuiciarum vſus eſt in prohibicione ſed abuſus quia
mali iniuſte acquirunt et voluptuoſe expendunt · Et
ideo in inferni egeſtate perpetue mendicabunt · Pſalmꝰ
Diuites eguerunt et eſurierunt · Yſayas · Serui mei
comedunt et vos eſurietis Ad idem pertinet quod dicit
Job · Diuicias quas deuorabit euomet et de ventre eiꝰ
extrahet eas deus · de quo multum timere debet auarus
Tercio a glorioſo exitu ibi et gloria · Quia dominus
maieſtatis cum multitudine angelorum eum ſuſcepit
quia laudabiliter vt dictum eſt ſuas diuicias diſpen-
ſauit et a domino meruit audire iſtud · Lucas · Euge
ſerue bone et fidelis · quia in pauca fuiſti fidelis ſupra
multa te conſtituam intra in gaudium · de mor

paupis

FActum eſt vt moreretur
mendicus · et portaretur ab angelis in ſinu a-
brahe · Vita paupertatis tripliciter commendatur · Pri-
mo quia imitatores ſunt ſui domini · qui pro nobis
pauper fieri voluit · Pſalmus · Pauper ſum · et in la-
boribus a iuuentute mea · Ad idem pertinet illud
Apoſtoli · Qui cum eſſet diues · pro nobis ege-
nus factus eſt · vt eius inopia nos diuites eſſemus ·

ad magnā gloriā debent ſibi pauperes reputare qꝛ ſo-
ciū habent tam magnū dn̄m ⁊ ipſū in paupertate ſecu
tur Eccāſt. Magna gloria ſequi dn̄m. Diuites ope-
rib9 onerati nō poſſunt ſequi dn̄m vnde ſuper illo ver
bo Luc. Dn̄e ecce nos relinquim9 om̄ia ⁊ ſecuti ſum9
te Bernh. Bene feciſti petre nō en̄ poteras ſequi dn̄m
oneratus qui exultauit ut gygas ad currēdum viā.
Secūdo quia ſola vita paupertatis dicitur recta via.
Rectū en̄ eſt cui9 mediū nō exit ab extremis. Duo ex
trema. natiuitas et mors. mediū vita. Qui ergo ſit
pauper pauper viuit ⁊ pauper naſcitur ⁊ moritur. Il
le vero rectitudinē vite ſeruat Cantica. Recti diligunt
te ideoq3 ꝓpter hāc rectitudinē promiſit eis deus ſuū re
gnū Math. Beati pauperes qm̄ ipſorū eſt regnū ce-
lorū. Si ergo vis habere regnū dei eme a pauperib9
quia eorū eſt Luc. Facite vobis amicos de māmone
iniquitatis ut cū defeceritis recipiant vos in eterna ta
bernacula. Tercio qꝛ pauperes merētur portari ab an
gelis in regnū dei ut dicitur hic factū eſt ut moreretur
mendicus. Hinc de ſancto martino dicit. Martinus
hic pauper et modicus celū diues ingreditur ẏmnis ce
leſtib9 honorat. In hijs ergo trib9 vita et mors pau-
perū commendatur. **De morte diuitum**

Eleuaſti me in altū et quaſi in ventum ponens al-
liſiſti me valde. Scio quia me morti traditu-
rus es vbi cōſtituta eſt om̄is dom9 viuentiū. Loquit
hic Job. in ꝑſona diuitū oſtendens ad quā miſeriam
deueniat de altitudine ſeculari tempore mortis. quia

cadūt tripliciter. Primo de altitudīe diuiciatum que ſunt quaſi ventus in profundum paupertatis quia de ſuis diuicijs quas tanta dilexerunt affectione michil ſecum portabunt. Job. Diues cum dormierit michil ſecum affert aperiet oculos ſuos ⁊ michil inueniet Pſalmus. Dormierunt ſomnium ſuum ⁊ michil inuenerūt omnes viri diuiciarum in manibus ſuis. quāta ſit pauptas taliū oſtendit Apl's michil intulim⁹ in hunc mūdū haut dubiū q̄ michil auferre poterim⁹. Scd̄o de voluptate diuiciaꝝ ad magnā miſeriā ad qd̄ iſtud ptinet Jere. Qui veſcebant̄ voluptuoſe ⁊ nutriebant̄ in croceis amplexati ſūt ſtercora. Ad idem dicit Yſayas. Pro eo q̄ eleuate ſunt filie ſyon et nutibus oculorum ibant ⁊ poſt decaluabit dominus verticem filiarū ſion ⁊ crinē earum nudabit et erit pro ſuaui odore fetor et pro criſpanti crine caluicium. ⁊ pro faſcia pectorali cilicium et pro zona funiculus. Exemplum habes in hoc diuite Luc. Recordare fili quia recepiſti bona in vita tua ⁊c̄. Tercio de honore ad magnum decus. Jer. Filij ſion inclite amicti auro puro. quomodo computati ſunt inter vaſa teſtea opus manuum figili. Quid enim dicent diuites induti purpureis veſtimentis cum in futuro iudicio ſe nudos inueniant et ab omni honore alienos. Unde peccatori dicitur Yſa. Deſcende ſede in puluere. non ſolum vltra tibi.

## de religioſis

In nidulo meo moriar et quaſi palma multiplicabo dies. Job. In hoc verbo vita ⁊ mors religioſi multiplicit̄ commendat̄

Primo ab humilitate ibi in nidulo. Nidilū nomē eſt diminitiuū in quo religioſorū humilitas deſignatur. Debent em̄ ſeruare humilitatē quā pretendūt in habitu in cui9 rei ſignū deponūt ornamentū veſtimentoꝝ ⁊ aſſumūt habitū vilitatis Job. Baltheum regum diſſoluit ⁊ accingit fune renes ſuos. Exemplū dn̄i qui poſuit veſtimentū ſuū alicie. attendūt em̄ boni clauſtrales quantā aſperitatē pro eis dn̄s ſuſtinuit. ⁊ ideo ſe vilibus induūt. Quia ut dicit Ber. Nō decet ſub ſpinato capite menbra viuere delicate. Secundo a pſeuerantia ibi moriar. Nō em̄ valet religioſe ⁊ honeſte incipere viuere niſi p ſeuerātiā bona vita roboretur Luc. Qui aūt perſeuerauerit uſqꝫ in finē ſaluus erit. Aliter em̄ melius eſſet nō incipere ꝗ̄ incipere ⁊ inceptū nō finire Math. Nemo mittens manū ſuā ad aratꝝ ⁊ reſpiciens retro apt9ē regno dei. Ad pſeuerantiā inuitat apoſtolus. Vnuſquiſqꝫ in ea vocacōne qua vocatu' eſt in ea pmaneat. Tercio a premio qd̄ a deo ſuſcipiet ibi ⁊ quaſi palma multiplicabo dies ſuos. Palma dulcem habet fructum ⁊ diu viuit ī quo notatur duplex ſtatus ſanctoꝝ ⁊ dulcedo patrie de quo tangunt̄ in pūerbio. Longitudo dierum in dextera eius. ⁊ in ſiniſtra eius diuicie ⁊ gloria. De Sacerdotibus

Sacerdotes eius induā ſalutare ⁊c̄ Nota ꝗ̄ tripli ci ſalute noſcit dn̄s ſacerdates ſuos. Primo veſtimento gracie. Gracia em̄ dei eſt ſicut veſtimentū q̄ ornātur boni ſacerdotes amici dei eccāſt. Induit me veſtimento ſalutis ⁊ indumento iuſticie arcūdedit me. In

cuius rei ſignum ſacerdotes cum accedunt ad altare induuntur lineis in quo ſignatur candor gracie · qui predictam veſtem non habet ad altare dei accedere nõ preſumat · Secundo veſtimento ſacerdotalis dignitatis · Hec eſt ſuper alias omnes dignitates · et ideo de eis poteſt merito dici Illud pſalmi · Non fecit taliter omni nacioni et iudicia ſua non manifeſtauit eis Nõ enim conceſſit angelis ſacrificium offerre · et peccatoribus abſoluere · ſed petro et ſuis ſucceſſoribus · Luc · Et tibi dabo claues regni celorum et quodcũqz ſolueris ſuper terram erit ſolutum et in celis · Et quodcũqz ligaueris Tercõ veſtimento glorie de hoc veſtimẽto cãtat eccleſia ſtola iocũditatis induit eũ dñs hoc veſtimẽtũ laudabile eſt qz nũqȝ veteraſcit · Hijs ſtolis amiciunt oẽs electi iuxͣ illud apoc · ex oĩbꝫ gentibꝫ ſtantes ante thronũ amicti ſtolis albis ⁊ ſecunt agnũ ⁊c̃ De ſtola gracie puenit ad ſtolã glorie apls · ſtola glorie induit eũ · Et dicit ſtola a ſtolon qđ eſt longum in quo innuitur perpetuitas illius beatitudinis ⁊c̃ De peregrinis

Aduena ego ſum apud te et peregrinꝰ ſicut patres oẽs mei Nota qz vita et mors peregrini cõmendabilꝭ ẽ ꝓpter tria Primo qz imitatores ſũt ſui regis qui in hoc mundo tanqȝ peregrinus fuit Pſalmꝰ · Extraneus factus ſum fratribꝫ meis et hoſpes filijs matris mee · Sunt etiam imitatores ſanctorum patrum · qui tanqȝ peregrini nichil in hoc ſeculo amauerunt niſi patriam ad quã totis deſiderijs feſtinabãt · Apoſtolꝰ · Nõ habemꝰ hic manentẽ ciuitatẽ

ſed futurā inquirim⁹ id eſt confitentes quia peregrini
ſunt ⁊ hoſpites ſup terrā. Secūdo quia tranſierunt de
labore in requiē laborāt eñi in viſitādo ſanctorū lumi
na ſed de illo labore trāſibūt ad requiē Pſalmiſta. In
pace factus eſt locus ei⁹ ⁊ habitacō eius ī ſyon Yſay.
Sedebit populus in pulcritudine pacis in tabernacu
lis fiducie in requie epulenta. Econtra mali de quie=
te temporali tranſibūt ad labores ſempiternos Pſalm⁹
Laborauit in eternū ⁊ viuit in finē. Qui eñi hic quie
te marceſcūt ibi ſuſtinebūt pcuſſiones maloꝝ. Sap.
parata ſunt deriſoribꝫ tormenta et mallei percucientes
Tercio qꝛ de paupertate ⁊ fame tranſibunt ad epulas
ſempiternas. Eſurierunt eñi in fatigacōne longarum
viaꝝ ſed reficient̄ ab vbertate domus dei Math. Mul=
ti venīūt ab oriente ⁊ occidente ⁊ recūbent ab abraham
yſaac et iacob in regno celorum. Cantica. Comedite
amici ⁊ bibite ⁊ inebriamini cariſſimi. De mortuis

Beati mortui qui in dño moriūtur Apoc. Nota
ꝙ quidā moriūtur in dño quidā in peccato qui
dam in mūdo. Primo ſiquidē in dño moriūtur qui in
fine bene penitent de cōmiſſis ⁊ ſe peccatores nouerunt
in quibꝫ habet locū hoc qd̄ dicit Ezechias. Quacunqꝫ
hora peccator cōuerſus fuerit ⁊ ingemuerit omniū pec
catorū ſuorū nō recordabor amplius. Mira dei clemē
cia ⁊ magna nimis quia etiā in calculo mortis poſitū
ſeruū ſuſcipiet reuertentem. et qꝛ nō ſuppetit vita ad ſa=
tiſfactionē ſaltē in purgatorio p ignē vel aquam depo
nent rubiginē ut abſqꝫ macula ingrediant̄ palacium

eterni regis Pſalmus. Tranſibimus per ignē et aquā
et induxiſti nos in refrigeriū. Secūdo in peccato mo
rit̄ q̄ culpā nō timet cōmittere et penā recuſat ferre ut
ſūt deſperati q̄ de diuina miſ̄cdia diffidentes carnis ⁊
ſpūs ſe inuoluūt de hijs dicit. Pſa. Ve q̄ trahitis iniq
tatē i funicul̄ vaītatis ⁊ q̄ſi vinculū plauſtri peccatū
Sup q̄ verbo gregorius peccatū qd̄ p penitentiā nō dele
tur mox ſuo pondere aliud trahitur. Talis nec verb
nec verberibus caſtigatur prouer. Percuſſerūt me ⁊ nō
dolui traxerunt me et non ſenſi. Tercio immūdo vel
mūdo moritur qui carnem ſuam crucifixerunt cum vi
cijs et concupiſcentijs Talis erat apoſtolus qui dice
bat michi mūdus crucifixus eſt et ego mundo Hij ceſ
ſerūt in ſorte criſti Apoſtolus. Qui criſti ſūt carnē ſuā
crucifixerūt cū vicijs ⁊ cōcupiſcētijs De aīa

Conuerte aīam meā i requiē tuā. qr dn̄s bn̄fcat
michi Hec ē vox fidel̄ aīe deſiderātis requiē poſt
diutinos labores Et nota q̄ dn̄s tria bona ꝯfert aīe.
Primum eſt quia peccata dimittit que ſunt debita qui
obligant ad gehennā vnde de ſancta peccatrice exem
plū ponit dn̄s i Luc. Duo debitores erāt cuidā fenora
tori ⁊c. et poſt dimittunt ei peccata multa qm̄ dilexit
multū i moralibꝫ qd̄ mirabilius ē infudit dn̄s q̄nqꝫ vbe
riorē graciā Apl̄s. Vbi habūdauit delictū ſupabūda
uit ⁊ gracia Idē i petro idē i latrone q̄ poſt mortē cul
pe ad vitā gracie reſpirarūt Ezech. Si auerterit ſe impius
ab īpietate ſua vita viuet ⁊c. Scdo qr a demoībꝫ im
pugnātibꝫ liberat qr ſi pacē ſanctoꝝ pturbāt iux̄ illud

Mundus caro demonia diuerſa mouent prelia In cur
ſu tot fantaſmatū turbat cordis ſabbatū Nunq bel-
la bonis nūq diſcrimina deſunt Et cū quo certat mēs
pia ſemp habet Ab hijs liberari petebat q dicebat Job
Libera me dn̄e ⁊ pone me iuxta te ⁊ cuiꝰ vis manꝰ pu-
gnet contra me. Tercio qꝛ in opulentā requiē introdu
cit Yſay. Sedebit populus meꝰ i pulcritudine pacis i
tabernaculis fiducie in requie opulenta. Itē cōuertere
anima mea in requiē tuā. aīa tranſit ad requiem

SEcūdū multitudinē dolorū meorū cōſolaciones
tue letificauerunt animam meā Hoc poteſt eſſe
verbū fidelis anime regraciantis deo de beneficijs ſuſce-
ptis in patria quaſi dicat. Sicut fuit multitudo tri-
bulacionū in mūdo ſic michi eſt multitudo conſolacio
nū in celo et hec tripliciter trāſit fidelis anima. Primo
enī fit tranſitus de luctu i gaudiū plangent enī hic ele
cti peccata ꝓpria ⁊ aliena Iuxta illud Iere. Quis da
bit capiti meo aquā ⁊ oculis meis fontem lacrimaꝝ
ut plorem interfectiones filij mei ſꝫ iſte luctus trāſit i
mirabile gaudiū qd̄ tranſcendit omnē intellectū. Pſal
mus. Qui ſeminat in lacrimis in gaudio metet verſꝰ
Nunc locus eſt flendi locꝰ eſt peccata luendi Poſtea
gaudebit qui nūc ſua crimina flebit Apcē. Neqꝫ lu-
ctus neqꝫ clamor erit vltra. Secundo fit tranſitus de
labore ad requiē. Laborant enī hic electi in ieiunijs vi
gilijs ⁊ oracōnibꝫ Petrus. Sobrij eſtote et vigilate
Laborant etiā in reſiſtendo temptacōnibꝫ Apl's. Nō eſt
nobis colluctacio aduerſus carnē et ſanguinē ſcilicꝫ tm̄

ſed aduerſus principes ⁊ poteſtates ⁊c̄ ſʒ ibi requieſcēt
ab hijs oīb⁹ fantaſmatib⁹ Ezechiel. Requieſcere eos
faciā in herbis virētib⁹ Job. Requieuerūt feſſi labore
Tercio fit trāſitus de morte ad vitā Hic em̄ neceſſe ha
bet mori Pſalmus. Quis eſt homo qui viuit ⁊ nō vi
debit mortē ſʒ ibi in eternū viuent. Sapiens. Juſti
aūt inppetuū viuent ⁊c̄. Tela ē multiplex

DUm adhuc ordier ſuccidit me. Nota ꝙ multi
plex eſt tela. Prima eſt tela hominis hec tot ha
bet fila quaſi quot dies texerit dum humana vita ꝓ
pagatur. preciditur in morte cultellus ſuperior forſi
cis eſt voluntas diuina. Cultellus inferior effectus
humane nature. Hijs forſicibus preciditur tela hu⸗
mane vite Ad quod pertinet illud Job. Dies mei ve⸗
locius tranſierunt ꝙ̄ a texente tela ſuccidītur. Secun
da tela eſt criſtus. Hec tela fuit ordita in vtero virgi
nali gabrielis opere ſancti ſpiritus. quaſi fila huius
tele fuerunt verba angeli ⁊ reſponſionis marie cōple⸗
to illo Ecce ancilla domini Juxta illud. Ecce comple
ta ſunt que dicta ſunt per angelum de virgine maria
Extenſa fuit in cruce a Judeis. dilaniata tandem a
militibus paganis. Unde conqueritur Pſalmus. Fo
derunt manus meas et pedes meos ⁊c̄. Tercia eſt tela
peccatoris. Hec tela tot habet fila. quot merita mala
Unde de peccatoribus dicit Yſayas. Oua aſpidum ru
perunt et telas aranea texerunt. Aranea dum orditur
telam. Seipſam in interioribus priuat. vt capiat
muſcas. Jta mali dum ordiuntur telam viciorum.

ſeipſos in interioribꝫ bonis priuant ut capiāt tempora
lia vana vt filij deſertores dicit dn̄s ut faceretis cōſili
um et nō ex me et ordiremini telā ⁊ nō p ſpiritū meū
Poſtea procede ſicut deus tibi dabit graciā ⁊ inſpira-
bit.

Expliciat liber bonus multū pro ſalute anime de diuerſis
editus. Incipit litigacō ſathane cōtra genꝰ humanū.

litigacio Sathane contra genus humanum

Noſtis fratres cariſſimi qualiter ſathanas ſubin-
trans viſcera iude procurauit q̄ ipſe iudas ma
giſtrū ſuū ꝓphetā q̄ filiū dei ſe faciebat morti tradi face
ret. Noſtis etiā qualiter genꝰ humanum ab exordio
mūdi fuit dampnatū p inobedientiā eue. et poſtea fu-
it ſaluatū p mariā. Nā mulier dampnauit ſcilicet eua
et mulier ſaluauit ſcilicet virgo maria Cogitauit ita
qꝫ nequicia infernalis intra ſe cōuocata ei aſtucia dy-
abolice fraudis quō ⁊ qualiter poſſet redigere genꝰ hu
manū in ſuā priſtinā ſeruitutē ⁊ intuens nullā nacō-
nem ſeu naturā fraudulentiorē exiſtere muliere ſug-
geſſit vxori pylati ſuggere pylato ut impediret mor
tem illius ꝓphete. vnde legitur ī paſſione illa induxiſ
ſe pylato. Quid tibi et iuſto illi. Multū em̄ paſſa ſū.
videbūt ihesum infinita miracula facientē. dicebāt hic
eſt filius dei cū aūt eſuriebāt cōtrariū dicebant. vnde
quandoqꝫ dicebāt nō expedit ut iſte moriatur. Cum
em̄ dicebāt ꝓphete q̄ oportet vnū mori pro populo q̄
deſcendet ad inferos et porte inferni aduerſus eū nō pre
ualebūt et extrahet captiuos quare nō expedit ipſum

mori quia ſolaciū eſt miſeris ſocios habere penarū vñ
in hoc dubio exiſtens pylatus dixit Qđ ſcripſi ſcripſi
et ita ihesus criſtus fuit crucifixus mortuꝰ ꝛ ſepultus.
Demon cogitauit nequicia infernalis lōgo malicio=
ſo ꝛ ponderoſo conſilio . quia procurator mitteret ad
preſentiam iheſu criſti bene inſtructum . ad petendum
ꝙ genus humanum in eorum priſtinam redigeret ſer
uitutem . Nec miremini ſi dicamus ꝙ ad preſentiam
ſuperioris poteſt accedere . quia loquimur more hu=
mano aut quia ſicut ſcitis vbicūqȝ ſit demon prima=
paliter potencialiter cruciatᷓ qꝛ eiꝰ pena eiꝰ oſſibꝫ ſicut
lepra leproſo ē infixa vel tinea tineoſo aut ſicut ruſticꝰ
vel iumētū nō releuatᷓ pena portādo pondꝰ ferreū ī au
la regia ſic nec demon vbicūqȝ ſit a ſua pena nō rele
uatᷓ. Procurator igitᷓ legittime cōſtitutꝰ aſtutꝰ et verſu
tus ad p̄ñtiam criſti accedens . Dixit . Creator celi et
terre ego ſum quidam dampnatus procurator tocius
nequicie infernalis coram vobis comparens ad agen=
dum contra genus humanum . Placeat vobis ad in=
formacionem noſtram . aliquantulum me audire .
Dixit ei dñs audias me dicere Rñdit demon . Nō de
bes dñe ſȝ ad informacionē noſtrā aliqua vobis expla
nabo ſi placet . Dixit dñs . tu ſcis ꝙ merita cauſaꝝ no
bis veraci aſſercōe pādūt q̄re a te nō decet informari re
colimꝰ ei dū mūdū pambulauimꝰ q̄liter nos īformare
volebas dum dixiſti nobis . Dic ut lapides iſti pa=
nes fiant . Dixiſti quoqȝ ꝙ immirabilia nobis dares
ſi te adoremꝰ demō dixit tu es iuſticia ꝛ iuſticiā poſtulo

SLUB Wir führen Wissen. GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK Uniwersytet Wrocławski BUW

peto genus humanū vocari corā te ad certū diē respō
ſurū michi pcuratori nequicie infernalis et ecce pcu
ratorē meū quo inſpecto per dnm cum careret omī ca
lūpnia. Dixit dn̄s de die agat. Reſpondit demon ad
diē craſtinā Rn̄dit dn̄s. Tu noſti experientiā facti ꝙ
longa via eſt ⁊ ꝙ die ſumꝰ diſcordes ad iudicē eīn p
tinet ex eius officio diē partibꝫ aſſignare q̄re nos tibi
et generi humano aſſignamꝰ certū diē ſcilicet diem ve
neris ſanctā q̄ crucis patibulo penā ſubimꝰ corpalem
Rn̄dit demon Ꝙ dn̄e vbicūqꝫ locorū hec dies eſt inſi
gnis debet eſſe et celebris ſicut eīn iura p ora princip ū
promulgata teſtantur quare citacō ⁊ quicquid ex ea
ſequeretur nullus eſſet momenti. Rn̄dit dn̄s Nos iu
ra cōdidimꝰ ⁊ auctoritatē damus iuribꝫ nō iura nobiſ
quare volimꝰ citacōem valere ⁊ pceſſus nō obſtante
ꝙ talis ſit vbilibꝫ formata. Et dixit gabrieli vociferā
cū tuba tua ſonifera ad dictū diē genꝰ humanū reſpon
ſurū corā nobis procuratori nequicie infernalis. qui
bus actis receſſit demon ad inferos cū talibꝫ nouis q̄
lia ſuperius audiſſet quibꝫ ſocijs infernalibꝫ relatis p
dictū procuratorē viderunt demones ꝙ nullā graciam
nullā miſericordiā a dn̄o inuenerunt. habito conſilio
eorū iuſticie ut dicebāt inherentes ſtatuerunt eundē p
curatorē ad dictū diē mittere iuſticiā petiturū iudicant
quia die adueniente cogitans demon ꝙ maior erat con
tumacia actoris q̄ꝫ rei ꝙ in regno celorū nullos habe
at amicos cōparuit tempeſtiue ut loquamur more hu
mano in loco in q̄ iudex p tribunali ſedere cōſueuerat

Adueniente itaqꝫ die demon cōparuit dicens· Domīe
ego ſū ille deputatus procurator qui habeo diē ⁊ aliaſ
dicere corā vobis cōtra genus huānū· Reſpondit cri-
ſtus Vade et exſpecta · tu ſcis ꝙ tota dies cedit generi
humano Exſpectans demon vſqꝫ ad horā none et vi-
dens vt more humano loquamur litigantes euntes
et redeūtes ad ſuā audiētiā Iterato dixit demon Pater
qui es vbiqꝫ ſumma iuſticia ego me iterū preſento cō-
tra genus humanū Cui dn̄s ait Inoportune· Nonne
tibi diximus · quia tota dies cedit · et ſic exſpectauit
vſqꝫ ad noctis tenebras · Tunc incepit demon voci-
ferare et clamare dicens · Vbi eſt iuſticia que in celis
dicitur eſſe quam vix inuenio · Reſpondit dominus
Veni maledicte · Jam eſt hora vt te audiamus · Et
exhibuit ſtatim citacionem · qua exhibita clamatum
extitit ſi eſſet aliquis hic pro genere humano· Verum
tamen quilibet obticuit · Reſpondit demon · Nemo
credat ꝙ velim procedere niſi curiali modo · quo poſi-
to conſtat de contumacia humani generis quid ſuper
hoc dicant iura qualiter iudices agere debeant· Reſpō-
dit dominus· Tu ſcis quia ſtatim non debet iudex ex-
comunicacōis ſentētiā fulmiare Dixit demon Ego nō
peto hoc ſꝫ tantū poſtulo michi lr̄as fieri ꝙ ſufficient cō-
paruit nemine ꝓ huāno genere ꝯparente neſcio q̄d minꝰ
poſſē petere qꝛ ſicut dixi curialiť agere ꝓpono· verū tn̄
eſt ꝙ demon nō q̄rebat aliud niſi ꝙ nos tn̄ poſſet redi-
gere in priſtinā ſeruitutē vel inobediētiā ꝓpter quā vt
noſtis fueramꝰ dampnati ꝑ factū eue Rn̄dit dominus

Qui nouit abſcondita tenebrarū · tu ſcis ꝙ iudices
quandoq; ſerui iura vtunē mera iuſticia · qñq; equitate
qñq; rigore ſcd̄m pſonas loca cauſas ⁊ tempora ⁊ be
ne ſcim⁹ ꝙ equitas qñq; prefertur rigori · volum⁹ ita=
q; equitate vti qua equitate diē iſtū cōtinuam⁹ ⁊ pro
rogam⁹ in ſtatu prout melius valemus in diē craſti
num qd̄ facere potuit de iure Tunc exclamabat demō
dicens dn̄e vbi eſt iuſticia tua · Reſpondit dn̄s · Eicias eū
foras nōne tibi demoni diximus ꝙ volebamus equi=
tate vti · Et eiectus eſt de regno celoꝝ et ad inferos re
meauit qui ſi que dura noua primo ſocijs ſuis retulit
modo duriora eis dixit · Verūtamē dixerūt demones
ꝙ ſi iudex equitate penſata qñq; vtatur nemini facit in
iuriā licet parti nō faciat graciā · Sero aūt fuit magn⁹
clamor in celis quia gen⁹ humanū erat in cōtumacia
poſitū niſi fuiſſet clementia ſaluatoris qui equitate pē=
ſata diē prorogauit in diē ſequentē ⁊ intantū ꝙ cla=
mor aſcēdit ad aures beate virginis q̄ audita rei cau
ſā amariſſime fuit turbata inquirens a iudice ꝙ nil e=
rat innouandū nec innouari poterat pendente dilectio
ne Et dixit publice ꝙ volebat eſſe aduocata generi⁹
humani quo audito om̄is chorus milicie celeſtis ma
gis gaudijs ē repletus · Mane aūt redijt procurator
infernalis nequicie tempeſtiue ſubintrans conſiſtoriū ·
et cū cordis amaritudine inaudita · videns iudicē venię̄
tem ad ſedendū pro tribunali · Poſtea vero aduocata
noſtra veniebat comitata comitib; angelorū cū mili=
cia celeſti alta voce canentis Aue regina celoꝝ mater

regis angelorū. O maria flos virginū velud roſa vel liliū funde preces ad filiū pro ſalute fidelium ad ipſā pro nobis magis amādā forcius canebāt poſſit ergo aduocata nr̄a ⁊ ſedit ad dextrū filij ſui dicens. fili mi audio et neſcio quis cōtra genus huānū cauſam habere ſe dicat quis eſt ille aſſurgat dixerunt angeli vide te verſutū dampnatū reprobatū accuſatorē fratrū dū erat meritis Ille eſt qui nō ceſſat infeſtare iudicē ɔtra genus humanū qui ſtatim citatus eſt ⁊ comparuit dimiſſa facie beatam mariā eleuatis oculis reſpicere non audebat. Qui enim male egit odit lucem que etiam ipſum demonem tam honorabili reſpiciebat oculo. ꝙ dolores ſui cordis oculi et facies iudicabant Dixit criſtus demoni modo dicas quicq̄d habes contra genus huānū dicere R̄n̄dit dyabolus pater ſācte nō moueat vos caro ⁊ ſanguis. Sic michi facite iuſticiam quia vos eſtis iuſticia caritas et equitas vbicunq; locorum. Vos dicitis ꝙ ego dico cauſam meam. ſed non video cum quo loquar. quia iudicium ſicut ſcitis cōſtat ex tribus perſonis. perſonam autem rei non video Reſpondit beata virgo. quia ſicut dicit demon. Iudicium conſtat ex tribus perſonis. Ego non video perſonam actoris. que primitus eſt fundenda. Reſpondit demon. fundata eſt perſona actoris ex procuratorio noſtro per iudicem citacione obtenta. Loquitur maria ex quo partes ſunt preſentes nō eſt dicta muanū tēnēda peto copiā ꝓcuratorij partis aduerſe ⁊ citacōes michi fieri dari q2 ſic debet fieri Loquit demon.

Cui fiet copia partē hic nō video · Reſpondit maria ·
Ecce aduocata generis huāni · Loquit̄ demon · Audi
pater reſpice veritatē q₂ tua mater ab oī officio aduo
cacōnis excludit̄ · aduerte primo q₂ oīs mulieres po
ſtulare prohibent̄ quia virile officiū eſt · Preterea ipſa
eſt mater tua et ſic eſſet michi valde ſuſpecta Et ſi ad il
lud officiū admitteretur de leui poſſet vos tanq̄ filiū
ſuū ad ſuā partē trahere ad q̄ dico eā minime admit-
tendā · Tunc loquit̄ aduocata filio · Cauete fili mi ne
forte ipſius verſuti allegacōnes fraudulenter vos cir-
cumueniant ī aliquo aſſerit em̄ me ad aduocacōis offi
cium nō eſſe admittendū · mentit̄ ⁊ vere cōtra veritatē
loquit̄ quia in ore eius nunq̄ fuit veritas inuenta · fi
li cariſſime vos qui iura cōdidiſtis noſtis q̄ mulieres
nō admittant̄ ad poſtulacōnis officiū pro pſonis au
tem miſerabilib9 ⁊ coniunctis viduis ⁊ pupillis bene
admittunt̄ · vt ex̄ de pcur · C · ff · et · iij · q · vij · ſcilicet ·
Sunt em̄ magne miſerabiles pſone ſūt q̄ mundus
quē ipſe nititur redigere in priſtinā ſeruitutē cōtra iura
naturalia · Preterea dicat ipſe q̄ ego ſū mater iudicis ·
ergo mulier vnde tanq̄ mulier eſt aduocata admitti
debeo · Etiā cauſam iſtā defendere volo q₂ mea intereſt
tanq̄ aduocata · vnde ſi eſſem heretica vel iudea vel ex
comunicata defenſiones mee michi eſſent ſalue et audi
re deberem me defendere · Noſtis bene fili tres fore ordi
nes in mūdo cōiugatorū virginū ⁊ cōtinentiū · ego ei
fui de omi ordine · cōiugata cū ioſeph · ⁊ virgo ante
partū ⁊ ī partu ⁊ poſt partū ⁊ ineffabiliter vos cōcepi

et genui ſine alterius contactu ſicut granū ſine alteri⁹ grani contactu germinat et ſicut virga aaron flores et frondes et fructus protulit abſq3 ſemine et radice. Sum q3 1 fui continens ad denotandū omnē ordinē humani generis nūcupari debeo aduocata q̄re me ad=uocatam admitti poſtulo tanq̄ ꝓprium factum meū proſequens. Reſpondit demō hoc vere peto interloqui ſup quibꝫ iudex iuſtus interloquutorie decreuit mariā in aduocatā admitti debere qua aduocata edita cū in nullo poſſet redargui. Similiter dixit aduocata. ſi vult aliquid dicere ꝓcuratori nequicie infernalis dicat. ꝓpoſuit ergo ꝓcurator nequicie infernalis in hūc modū. Modus eſt diſcrecio cantelene cuiuſlibet ſapiētis volentis contra aliū experiri expectare primū interdictum reſtitutoriū ſi ſibi de iure cōpetit intentare quia ſicut ſcitis melior ē condicio poſſidentis quare ego ꝓcuratorio nomine peto. Primo et principaliter me re=ſtitui ad omnem poſſeſſionem. Quia paratus ſum ſtatim probare pacifice et quiete poſſediſſe nomine quo ſupra fuiſſe defraudatum et ſpoliatum. Nam iſta duo conuenit probari. vt habetur in libro decre. ex=tra de reſti. ſpo. 1c. Quia reintegranda ſunt omnia ſpoliata. anteq̄ procedatur in cauſa. Reſtitucione autem plenarie facta ſum paratus cuilibet reſpōdere Loquitur aduocata filio. Audi fili mi benedicte ini=quitatem dyaboli qui ſe gerit eſſe partem actoris fal=ſo. vt ſui eſt mors petit primitus ſe reſtitui per iura. Que iura loquuntur in rei ſpoliati reſtituendis.

et ſic loquit̄ capitulū de reſti· ſpo· ex̄ reſtitui nō debꝫ
quinimo reſtitucō eis q̄ poſſiderūt nō vi nō clam nō
p̄cario ſꝫ bona fide ⁊ iuſto titulo · Demones autem
nunq̄ hoīes poſſiderūt ſed velut cuſtodes carceris in-
ferni ianuas ſicut nebulas et gurſiones cuſtodierunt
Hijs em̄ fili mi poſſidet cui⁹ noīe poſſidetur· ergo voſ
ſolū hoīes poſſediſtis ⁊ poſſidetis quia vos hoīnē crea
ſtis nunq̄ potuit demon habere bonā fidem q̄ tocunqꝫ
poſſederit vel tenuerit cū nulla dierum p̄ſcripcō iuuet
malefidei poſſeſſorē· vnde bona fide caruit ⁊ caret ergo
fuit demon nō poſſeſſor ſꝫ malefidei detentor · nā aliud
eſt poſſidere ⁊ aliud detinere· igitur vbi nulla fuit poſ
ſeſſio nulla cōpetit reſtitucio ⁊ vbi nulla eſt fides nul
lus titulus nec p̄ſcripcō ergo nō habet reſtitucio lo
cum· Dic michi dampnate reprobate nō filius meuſ
qui eſt hic pater et filius et ſpiritus ſanctus hominem
creauit quō rem alienā poſſediſti cū ſciebas ipſam ali
enā· R̄ndit demon · Interlocutorie poſtulo ſuper hec
cū fuimus ab olim in poſſeſſione ſup quibꝫ iudex iu-
ſtus interlocutorie decreuit illū demonē ad p̄dicta
nō eſſe reſtituendū · Tunc demon ſtridens dentibꝫ miſ
ſa manu ad marſubiū extraxit bibliam et cepit legere
in geneſi· vbi dicit dn̄s ade et eue de om̄i ligno para-
diſi comedatis excepto iſto · quacūqꝫ em̄ hora comede
tis morte moriemini· peto verba iſta ſtare ⁊ mandare
Attende fili verba ⁊ parabolas demonis nō cōſideretis
allegauit em̄ caput ⁊ caudā ſubſtituit qđ eſt cōtra le
gem· ſubſequenter michi geneſi p̄ter verba p demonē

recitata hec verba ab ipſo et ſuis compliabus Ade et
eue quibus cauſam peccandi dederunt. nequaq̄ mori
emini. ſed eritis ſicut dij ſcientes bonum et malum. Et
qui cauſam dampni dat dampnum dediſſe videtur. nō
ergo audiendi ſunt demones. quia adam et eua de fa-
cto ex eius auctoritate peccauerunt. Et quia fraus
et dolus ꝛc̄. ne de dolo premiſſo gaudium reportet.
vnde debet diſpendium reportare. Repellatur ergo de-
mon a limine ianitorum inflatus. Loquitur demon
cristo. pater ſancte fac michi vt faciunt boni iudices
qui in huiuſmodi caſibus iura ſecuntur. poſito enim
ſine preiudicio ſicut aſſerit aduocata mundi ꝙ agen-
do repellar. tamen veſtrum nobile officium. quia eti-
am per tacente ex more officio iudicat arbitrio. ne
crimina remaneāt impunita ex bono et equo cum ad
hec ex neceſſitate iuſticie teneatur quibus bonus et iu-
ſtus iudex nulli parcere debet. Loquitur aduocata fi-
lio. Audi fili vos eſtis vigor iuſticie. necnon ſum-
ma equitas et plenus dulcedine et miſericordie. quia
primo de rigore mater pecijt procedi ab hoc ꝙ pecijt
non eſt vltimus audiendum. quia vt ſcitis ita eſt de
iure. ꝙ realiter vbi duo vel plura auxilia ſine reme-
dio ad vnum et idem obſeruandum competunt. vnū
ex hijs eligere tenetur et vno electo potiſſime in iudi-
cio deducto alijs renunciare videtur. ſic autem eſt in
propoſito ꝙ demoni plura remedia competant ad con-
ſequendū qd̄ petit qd̄ tamē nō cōſitor vnū ab inicio
elegit atqꝫ in iudicio deduxit ut apparet p̱ proceſſum.

Igit merito ab alijs qbuscūq; adhuc censetur merito excludendus. Itē cū negatū sit demoni q; vna via pecijt quomodo ad aliud ē audiēdus sic ē improbādus in ppoſito ut attendat q; lex dixit qdcq; vna lex negat alia concedere nō potest ⁊ est racō quia circuit9 ē eutādus ⁊ reprobaretur ſi ſecus diceretur. Iā videtur iuri ſtare verbis et non rebus qd nō est dicendum. Preterea fili mi vos ſcitis q; verſutus diu est vbi potest recurrere ad auxilium non est recurrendum ad extra ordinariū. ſicut autem fuit et est in propoſito quia demon auxiliū ordinatū ut dictū est induxit in q̄ ſubcubuit q̄re ē audiend9. Itē bene ſcitis q; verſutus diu b restitucōnē pecijt qd tamē ē auxiliū ordinariū i q̄ tātū auxilio iuris exigentis p interlocutoriā vīam a q̄ nō extitit appellatū priuat9 est ⁊ ſic trāſiuit in rē iudicatā et ideo fuit totaliter excluſus ⁊ etiā expulſus. igitur nō obſtāte excepcōne rei iudicate nullaten9 potest admitti. Et in omi aduocata ſequēs mulier ſexū fragilē ⁊ miſerabilē ſemp timens generis huāni ſubuerſionē mutauit faciē ⁊ lacrimis atq; ſingultib9 dedita exanimata est a deo q; nemo tā triſtis mentis extitit. ⁊ cū tantum virgo lacrimari ardeſceret flexis genib9 ſciſſis ad vbera veſtib9 lacrimis oculis mūdantib9 adloquitur filiū dicens. Fili mi ecce demon qui te ſpreuit ⁊ lapidauit ad colūpnā ligauit et in staterā crucis tanq; latronē infixit et amariſſime morti tradidit ⁊ veſtrum nobile officiū implorauit Ego vero mater tua te. ix. menſib9 in vtero portaui et pie nutriui. dans tibi l.ac

vbilibus · Et hoc facie ad faciem aperies verba in con-
trarium eius quod peciit demon · Peto enim eo iure quod
poſſum in euentu predicto michi tantam iuſticiam fi-
eri et adminiſtrari ſuper racionibus meis predictis ·
cum ipſe apud te non debeat melioris condicionis eſſe
quam ego · vnde poſtulo quod ſi magis hoſti fauetis quam mi-
chi deleatis me de libro veſtro · Filius autem videns
intencionem matris dolore pietatis commotus · Di-
xit demoni · Vade retro ſathanas · quia petitum tibi ef-
fectum merito denegamus · Dixit demon · Dico quod
caro et ſanguis · non celeſtis iuſticia reuelauit hec
filio · Et ideo bene predixeram · quia non erat michi
tutum matrem in iudicio contra me poſtulare · Et
dixit · Jam audietis talia · que noletis audire for-
te et oſtenſo euangelio · vbi dicitur · Venit princeps
huius mundi etcetera · Quare pater ſancte obſerua-
ta verba iſta · Et que processerunt de labijs veſtris ·
non faciatis irrita · Scitis ergo quod ego ſum prin-
ceps huius mundi · Et de me loquitur ſcriptura ve-
ſtra in multis locis · Et continetur quod ob aliquam
modicam obiectionem · poſſet maximum litigium in-
ter partes aliquas oriri · Et tunc omnis boni Judi-
cis eſt decidere et diuidere rem litigioſam pro poſſe ·
et dare vnicuique partem ſuam · Vt ergo ſcitis ego ſum
princeps mundi huius et in celo · Non verbalis tan-
tum ſed realis · Quia verba mea ſunt intelligenda
cum effectu · Vos videtis pater ſancte cottidie cum diſcor-
dia inter vos et me vos autem dicitis quamquam eſſe veſtrum ·

quod eſt meum et ego ſepe et frequenter dico meū eſſe
qd̓ verū eſt poſtulo vos igiť ut om̄is ceſſet diſcordia
et faciatis ſicut bonus iudex ponderans equiualentia bo
na ⁊ mala mūdi ⁊ ſitis dn̄ator bonoꝝ ⁊ ego malorū
et ꝓculdubio regnū veſtrū nō erit maius ꝙ ſicut gra
nū milij. Loquiť maria ꝙ petit intus habet vos ſcitis
et omnes ꝙ tali die ſicut heri dies veneris ſancta bo
na ⁊ mala mūdi que verſutus pecijt. modo ponderari
ponderata fuerunt ad peticionem ipſius in ſtatera cru-
cis ꝙ nos peccatū ⁊ bonitas mundi ad inſtar bonitatis
recta ſtatera totum ponderaſtis pro humani generis re
dempcōne et in aliam partem pendidiſtis et deſcendēdo
ad inferos et ex inde reſurrexiſtis a quo non fuit ap-
pellatum. et ideo non eſt amplius audiendus ne pue
ris ſimiles fiamus quibus nō placet in ludo pondera
cio ẏmo dicunt ponderemus. Reſpondens demoni cri
ſtus dixit. loquere ſi ſcias et demon territus de tanta
reſponſione. Dixit aduocate dimitte me quia eſt ho-
ra ut loquamur de inceptis. Dico hominē tribus mo
dis ſine remedio fuiſſe dampnatum. Primo ſecundū
duplicem iuſticiam ſcilicet precepti et exempli. Exem
pli ſic quia angelus peccauit et ſine remedio fuit dā-
pnatus. cum dominus non ſit acceptor perſonarum
oportet ſimiliter hominem dampnari ſine remedio.
alias eſſet acceptor et iniuſtus. de qua iniuſticia iuſte
poſſumus conqueri nos dampnati. Ad iuſticiam pre
cepti ſic. quia huius fuit preceptum ſine preceptis ꝙ
nō comederet de pomo et quandocūqꝫ comederet morte

morietur · Angelo vero preceptum non dediſtis · Si ergo angelos dampnaſtis ſine precepto · multo forcius dampnatus eſt homo cum precepto cum forcius ſit contra preceptum ire · quam ſine precepto facere · Et peto modo quod vos reſpondeatis · Si reſpondere poteſtis tanquam ad vlteriora procedens · Reſpondit aduocata · Miſer et infelix · Non eſt ſimile quod tu propoſuiſti · quia angelus peccauit et ideo punitus eſt · Quia nichil infirmum in ſe habebat · quod eum induceret ad peccandum · Quia non in infirmitate · ſed malignitate peccauit · Et ſicut bene ſcitis · Angelus nullo precepto indigebat · Homo autem ſi peccauit habuit in ſe cauſam imminentem ad peccandum · propter teneritatem et groſſitatem materie · De quo planctus eſt Vnde corpus fragile efficitur et multo · leuius autem inclinans ad peccandum · Et nimium eſt · Si angelus peccauerit ad iuſticiam precepti · Sic autem reſpondeo · Angelo preceptum non fuit · Et peccauit angelus tanquam ſciens · Quid agere deberet ſine precepto · Natura autem ipſorum angelorum in ſe habebat ſapientiam · Quia cognoſcebant rectitudinem boni et mali in perfectione ſine nature Et quia veniendo contra talem certitudinem ſiue comparacionem grauius peccauit quam homo · propter quod tanto alciori gradu cecidit Homo autem talem certitudinem non habebat propter corpus quod naturam grauat hinc est quod non reſpondit certionaliter · ſed ait ne forte moriamur ·

Sile ergo dāpnatē qꝛ ſatiſfactū ē vltra velle· Rñdit demon· Nō ſilebo aperi aures tuas ⁊ audi ea q̄ dicam Rñdit aduocata· Quare nō petis interlocutorie fieri ſup poſitis q̄ calide cepiſti facere· Rñdit demō vultis ſcire q̄re qꝛ deitati frenū imponitis ſ; iterꝫ dico ꝙ homo peccauit loquit̄ aduocata filio fili mi Judex viuorū et mortuorū · ſcis quid vult dicere verſutus iſte vult eñ arguere ex multis culpis ꝓ maiori parte falſis· et poſtea vult cōcludere q̄ſi ex omībꝫ veris ſ; ſicut ꝯpoſi-tionū copulatiua mediū ꝓ parte ſ; ꝓ toto ē falſa puta tot falſitatis allegauit intima veritatis tacendo tm̄ ꝙ maximū periculū eſt ne alios inficiat· ego aūt que nō cōſueui audire mendaciā odio faſtidia ſū ꝙ neſcio in q̄ parte me voluā q̄re ſupplico ꝙ ipſe dicat tm̄ pro ſe culpā et ego pn̄tabo ⁊ gloſabo ſm veritatē· Loquit̄ demon· Audio mirabile ꝙ aduocata mūdi vult ēe ad uocata mea me nolente cū beneficiū non cōferat· ſicut pueri q̄ neſciūt ꝯputare et legere· aſſeris eñ vis cōpu tare ⁊ gloſare ego poſtulo te nō audiri qꝛ mos inge-rendi eſt et poſtea ipſe preſentet ⁊ gloſat ⁊ repetat ſi ſci at et poterit cōſona veritate ut dixit et poſtea replica-bo· Rñdit aduocata nō modicū turbata · Nolo ꝙ al leget falſitatē qꝛ non debet audiri in regno dei· Rñdit demon· ſi nō vultis me audire ego recedā ⁊ hoc vide-at iuſticia iudicātis Dixit criſtus mater iuſticia requi rit ꝙ pmittas eū loqui ⁊ poſtea reſpōdebis tāto erit nobis maius gaudiū· Loquit̄ aduocata dicas ergo demon quid vis· Dixit demon homo peccauit· Dixit

aduocata facias ibi pũctũ· Dixit om̃ipotens ꝑmittas
eũ dicere qꝛ michi in ciuile racio cõpleatur ⁊c̃ Rñdit
demon Homo peccauit in bonitate infinita ⁊ ſcd̃m iu
ra pena debet rñdere culpe quare peto hoīem qui cõmi-
ſit crimen leſe maieſtatis cũ ſuis heredibꝫ in quibꝫ he
reditas criminis ex pſona trahit̃ ꝑpetuo puniri aduo
cata reſpexit filiũ cũ oculo · Et filius matris rñſionē
inſufflauit· Ait demon· Ego ſemp dixi ꝙ durũ michi
erat matrē iudicas in aduocatā cõtra me haberi· Aduo
cata dixit filio Fili mi cuius noīe flectitur omne ge-
nu celeſtiũ terreſtrium et infernorum · Deprecor vos
audite verba mea Iſte nequam dicit de homine ꝙ pec-
cauit in bonitate infinita · Et ideo ſit infinite puniem-
dus Ad qd̓ rñdeo et dico ꝙ vos eſtis deꝰ ⁊ homo et bo
nitas infinita ⁊ vos q̄ eſtis infinitꝰ ⁊ bonitas infinita
pependiſtis ī cruce et morte turpiſſima ⁊ crudeli crucia
tus fuiſtis primitꝰ bene rñdit pena culpe · Loquit̃ cri
ſtus Regina celi nõ ſufficiat vob̓ iſta rñſio nõ vultis
vos ꝙ homo puniat̃ de peccato ſcd̃m peticionē ꝙ iura
clamāt· Cui dixit demon Iura volo · dñs ad eā qꝛ fu
it culpa infinita· Dixit demon Ergo homo puniat̃ in
finite· Dñs pro matre Ait demoni· Nonne michi om
ne iudicium tradiſti · Si culpa fuit infinita · et ho-
mo non poteſt infinite ſatiſfacere et mori · Loquitur
Aduocata · Vos eſtis filius dei viui · Rex in eter-
num duraturus et deus et homo · Non puniendus
in infinitum· Item dixit demõ· Homo peccauit in bo
nitate infinita ·Rñdit aduocata gloſando peccatum·

Ingemuit ⁊ dñs amplius nō recordatus eſt eo quia
nūc debet in eo reīcipi qd̄ iā fuit cū iā īcipiat eſſe qd̄
nō fuit· nō em̄ iudicat deus bis vbi dicit ad vltimū
cōcluſio dyaboli ergo pena debet eſſe infinita Dixit ad
uocata mentit demon qꝛ qui ex falſis cōcludit om̄ino
debet excludi· ergo cū annichilata ſit culpa p miſcdiā
annullata eſt ⁊ pena p graciā ut viciū veritatis operi
et gracia culpā cū probis ⁊ approbis cū lacrimis ⁊ ſu
ſpirijs qd̄ ē ⁊ faciendū· Et ſingulis viſis ad inſtar ei⁹
qd̄ legit· xxiiij· q· iiij· c· diſc· Maria in vtero nato ⁊
filio denudata cū vberib⁹ naturaliter trahit iudicē quē
cūqꝫ vult· Rn̄dit demon Nōne noſtis vbi ſub ē iuſti
cia excuſacionis ſeu defenſionis cauſa noſtis qꝛ nō ſolū
lacrimis ſ etiā inſidijs reſiſtere hoſti licet· aduocatū
michi dari poſtulo ut iura volūt· Aduocata loquit
ex ſecretarijs curie celeſtis non potes petere quencūqꝫ
ergo vis ex ſecretarijs infernalis nequicie recipere ad
dens· Audi me qm̄ omnē queſtionē ſoluā ego nō eſt
dubiū qm̄ pater filius ſpiritus ſanctus creauit hominē
in ſapientia ut eſſet heres vite eterne quā pmiſit abra:
he et ſemini eius ergo ſi hominē punitis in totū deletis
ipſū ut ait demon nō in ſapientia ſ inuanū conſtitui:
ſtis oīs filios hoīnū qd̄ eſſe nō debet · ſequere ergo ꝙ
nō in ſapientia ſ inuanū creaſſet hominē oportet eū ho
minē eſſe heredē vite eterne· Rn̄dit dyabolus vos dixi
ſtis ꝙ ſi deleat genus humanū ſequeretur ꝙ nō in ſa:
pientia ſed inuanū cōſtituiſſetis filios hominū· Ex hoc
ſic arguo· Quicquid olim feciſtis vos creaſtis· ergo

apparet ꝙ aut in ſapientia facta ſunt omnia aut iniu-
ſte condempnaſtis nos imppetuū. Dixit aduocata fili
iniquitatis ſi eni̅ fuit dampnatus vnus, chorus ange-
lorū cū eſſent decem. nō adhuc remanſerunt nouem
chori illius ſecus vero eſt in hoīe quia ſi genus huma-
nū in totum deleatur ergo inuanū conſtitutus fuit ho-
mo nō in ſapientia. Reſponde demon et noli obmute-
ſcere. Tūc dixit ihesus Si dn̄s pater filius et mater
ſunt pro homīe quis contra hoīem. et ſic deciſa eſt cau-
ſa et omnis queſtio quia ſic diffiniuit diffiniet omnia
neceſſaria et aſſignat. Tunc angeli inceperunt canta-
re. Salue regina miſericordie ⁊c̄ Eya ergo aduoca-
ta noſtra ⁊c̄ Et expulſus et eiectus eſt demon a celeſti
miliciа rediens vnde venit et portans de ſua procura-
cōne dedicus et non decus. Pro quibꝫ omībus ſupra-
dictis laudandus eſt ille pater verus pius et miſeri-
cors quo pretermiſſo nullū rite fundat exordiū Amē

Explicit litigacio ſathane contra gen9 humanū.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

Konserw. i oprawę
wyk.: B. Dębińska
(1994)

DK w PK25

konserwację wyk. K. Jokiel (2018) FDK 6 PR 25

SLUB Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet
Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
Stadt Görlitz
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet
Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet
Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet
Wrocławski



SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet
Wrocławski

Incipit liber miſerie condicõnis humane a Lothario dyacono cardinali ſanctorũ Sergi et Bachi qui poſtea Innocencius papa appellatus eſt.

Incipiunt capitula primi libri.


De miſeria condicõnis humane. i
De miſerabili humane condicõnis ingreſſu. ij
De vilitate materie de qua formatus eſt homo. iij
De concepcõne infantis. iiij
De quali cibo cõceptus nutriatur in vtero. v
De imbecillitate infantis. vi
De dolore partus et eiulatu. vij
De nuditate. viij
Qualem fructũ homo producat. ix
De breuitate huius vite. x
De incomodo ſenectutis xi
De labore mortalium. xij
De diuerſo ſtudio ſapientum. xiij
De varijs hominũ ſtudijs. xiiij
De diuerſis hominũ anxietatibus. xv
De miſeria pauperis et diuitis. xvi
De miſeria dñorum et ſeruorum. xvij
De miſeria continentis et coniugati. xviij
De miſeria bonorum et malorũ. xix
De hoſtibus humanis. xx
De creacõne anime. xxi
De breui leticia. xxij
De inopinato dolore. xxiij

natus in cobustione ⁊ cibus ignis. Utinā interemptus
fuissem ī utero, ut fuisset michi mater sepulcrum ⁊ vul
ua eius cōceptus eternus. fuissem enī quasi nō essem
de utero translatus ad tumulū. Quis ergo dat oculis
meis fontē lacrimarū ut fleā miserabilē humane condicō
nis ingressū. Cōsideraui ergo cū lacrimis quo factus
est homo ⁊ qd futurus sit homo. Formatus est de
terra ⁊ cōceptus in culpa natus ad penā. Agit praua q̄
nō licent. turpia q̄ nō decent. vana q̄ nō expediunt.
fiet cibus ignis. esca vermiū. massa putredinis. Expo
nā illud planius ⁊ dicā plenius. Formatus ē homo
a puluere de cinere de luto. qdq; vilius est de spurcissi
mo spermate. Conceptus ī pruritu carnis. in feruore li
bidinis in fetore luxurie. qdq; vilius est. in labe pec
cati. Natus ad laborē timorē ⁊ dolorē. qdq; miserius
est ad mortē. Agit praua quibz offendit deū. offendit
proximū. offendit seipsū. Agit turpia quibz polluit
famā. polluit personā polluit conscientiā. Agit vana
quibz negligit seria negligit utilia negligit necessaria
Et fiet cibus ignis qui semper ardet ⁊ urit inextingui
bilis. Esca vermis qui semp rodit ⁊ comedit. Immor
talis massa putredinis q̄ semp sordet et fetet horribilis.

Formauit igit̄ deus
hoīnē de limo terre q̄ ceteris vilior est elemen
tis. Planetas ⁊ stellas fecit ex igne. flatus et ventos
fecit ex aere. pisces ⁊ volucres fecit ex aqua. hoīes et iu
menta de terra. Cōsiderans ergo aq̄tica se vilē inuenit
Considerans aerea se viliorē agnoscit. Considerans

Quib9 forte meli9 fuiſſet pꝓuiſũ ſi nunq̃ ꝓdiſſent ad viſũ · q̃ tanq̃ monſtra monſtrant̃ ⁊ oſtendũtur oſtẽtui · plerici vero diminutis membris et ſenſib9 corrupti naſcant̃ · amicorũ triſticia · parentũ infamia · ꝓpinquorum verecũdia · q̄ hoc particulariť dixerim de quibuſdã cũ generaliť oẽs ſine ſciẽtia ſine virtute ſine verbo naſcũtur flebiles debiles imbecilles parũ a brutis diſtantes · īmo in multis minus habentes · nã ſtatim vt animalia orta ſunt gradiũtur · nos aũt nõ ſolũ erecti pedib9 non incedim9 · verũ etiã nec curuati reptamus · 

De dolore partus

Omnes enĩ naſcĩur eiulantes vt nature miſeriã exprimamus · Maſculus enĩ recenter natus dicit A · femĩa vero E · vñ v̉ · Dicẽtes E vel A quotq̃t naſcũtur ab eua · Quid eſt igitˀ eua niſi eu a · vtrumq̃ dolentis interiectio ẽ doloris magnitudĩs exprimẽs · hinc ẽ enĩ ante peccatũ virago · poſt peccatũ eua meruit appellari · ex quo ſibi dictum audiuit in geneſi · In dolore paries nõ eſt dolor ſicut parientis · vñ Rachel pre nimio dolore partus interijt ⁊ moriẽs vocauit filiũ ſuũ nomẽ Benoni id eſt filius doloris · vxor Phinees ſubitis doloribus irruentibus peperit filiũ ac pariter et in ipſo mortis articulo vocauit filiũ ſuũ Ichabel id ẽ filius doloris · In euangelio Iohannis · Mulier cũ parit triſticiã habet · cũ aũt peperit filiũ maſculũ iã nõ meminit preſſure ꝓpter gaudium q̄ natus eſt homo in mũdo · Concipit ergo cũ immũdicia et fetore · parit cũ triſticia ⁊ dolore · nutrit cũ anguſtia ⁊ labore · cuſtodit cũ inſtancia et timore ·

SLUB
Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski